



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Thesaurus Eloquentiae Sacrae Et Profanae, Saluti &
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

Alberti, Alberto

Coloniae Agrippinae, 1669

Actionis Pars Tertia, Et Refvtationis Capvt Altervm. In quo evincitur,
Ciceronianæ contemptores eloquentiæ oblectandi gratia destitui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

ACTIONIS PARS TERTIA,

ET

REFVTATIONIS CAPVT ALTERVM.

*In quo evincitur,
Ciceroniana contemptores eloquen-
tia oblectandi gratia de-
stitui.*

182. **I**ntercluso jam hoc primo, quod frustra Adversarii quæsierunt, ingenii diverticulo; equidem sum percuriosus, quò tandem fugâ in præsens sint evasuri, spectandis. Non sumus, ajunt, ita impudentes, ut Solem in meridie lucere inficiemur, neque mentis ad eò præfracta, ut perspicuis rationibus, ac veritati manus dare obstinatè recusemus. Est sanè ita, ut, dicis. Ingenium nostrum minus reverâ perspicax, quàm cuperemus; minus, quàm rati sumus hactenus, eximium tuâ ex Oratione deprehendimus. Quidni
can.

candidè fateamur? Perfuadendi efficacitate jam supra palàm dedimus nos carere: modò ingenii quoque laudem, & decus amisimus.

*Adversarii ingenii principatu dejecti,
oblectandi palmam sibi assentato-
riè tribuunt.*

183. **S**ed alia tamè est adhuc, extemplo sub-
dunt, prærogativa singularis nostra
tota: atque ita nostra, ut de nostrâ manu nul-
lis eloquentiæ præsidis, aut præstigiis eripi,
nullis argumentorû machinis extorqueri pos-
sit. Et quæ porrò est ista prærogativa? Jucun-
ditatis gratia, quam nostra afflat Oratio,
inquunt, tota nostris ex fensiculis, atque ar-
gutiis nascitur, animis que Auditorum quàm
blandissimè lenocinatur. Nostrisales, nostræ **A**
veneres, nostri lepores. Hi quoscunque ad-
ducti, rigidi que supercilii Catones facile
effusâ solvunt hilaritate. Possemus id sex-
centis illico in medium allatis venustissimis
exemplis planissimè confirmare. Sed duæ
illæ antea delineatæ nostrum ad genium, de-
licate que elaboratæ amplificationes, altera
eam D. Caroli pilam, altera Magni Xaverii
marinum cancrum, suis expingentes colori-
bus, id ipsum sat superque testantur. Quid
enim volucris illâ pilâ, etiam quum feriret,
lenius? quid ingenioso illo plumbo suavius?
quid animatâ illâ purpurâ illecebrosius? quid
illo glandis gemitu magis gemmeum? Illo
verò canero spirantem in navem commutato
quid

quid amœnius? quid ejus legatione festivius?
 quid falso illo sine sale falsius? quid fluctuan-
 te amari moris conscientia dulcius? quid ad-
 missi facinoris purpurisso lætius? At contra
 B feverior illa styli Tullianam ad normam exi-
 C gendi disciplina, squallori, pædoriq; propior
 est, certè oblectationis apparet penitus ini-
 mica. Strigosa nimis, nimis tristis, si hisce
 acuminibus non exornetur, languida, vul-
 gata, ac nullius ferè pretii videtur Oratio.
 At, si alicujus nominis haberi velis, serviendū
 plausui, serviendum ostentationi, serviendum
 aurium voluptati. Hoc nimirum isti crebris
 usurpant sermonibus, hoc semper habent in
 ore: alia esse nunc tempora, quam majorum
 nostrorum: à nostri seculi hominibus hujus-
 modi sermonis condimenta perditè adamari,
 posci, expectari, his ad audiendum invitari,
 his aulas, & templa stipari, his denique tan-
 quam Lydio lapide Oratoris cujuslibet, Con-
 cionatorisque præstantiam examinari, ac
 prædicari. O sapientum cæta consilia! Juro
 o meras ludionum fabulas!

*Reprehenduntur Adversarii, quod oblecta-
 tionem Auditorum tam intempe-
 ranter affectent.*

184. **Q**uid enim hic primum deplem,
 Patres amplissimi? imò quid
 maximè omnium rideam, aut indignè?
 Itane verò, quum persuadendi curam om-
 nem abjecerint Adversarii; quum ingenii
 patri-

patrimonium, si quod etiam à naturâ nacti sunt, penitus, ut ita dicam, conturbaverint; **A** postremo uni se se oblectationi tot tantisque verborum irritamētis eblandiendæ tam scurriliter dedunt, ac mancipant? Et hac demum arte tam molli, fluxaque plausum aliquem ab Auditoribus nituntur elicere? Mitto hic pluribus docere, quàm abjectè, turpiterque voluptas finis constituatur, quod antea jam à me haud jejunè præstitum memini: id dumtaxat in ejusdem sententiæ confirmationem hoc loco addiderim; non defuisse, qui à lotis, **B** atque in omnem intemperantiam projectis solemne admodum esse prudenter notaverint, ut etiam si lasciviam & sempiterni lege Numinis vetari, & illucescentis ductu rationis proscribi, & cōscientiâ remordente exturbari probe nôrint; delectationis tamen abrepti fascino, in turpitudinis cœno sædissimè volutentur; sui tantummodo corporis remissiones, ac delicias quærant; decus, nomenque honestatis; densissimis obsessi tenebris, nequeant intueri. At hæc immodica ornamentorum, acuminum præsertim, cupiditas, hæc cæca adeo contortulis sententiis farcendi periodos libido, quid est, quæso, Auditores, nisi quædam ingenii exuberantis, aut potius furentis luxuria? Nempe qui ingeniosi videri volunt, nominis splendori, ac famæ velificantur; quam ut colligant, omnia ad titillandas oblectatione aures sedulo comparant. **C** Licet autem ejusmodi acumina, atque ornamenta nihil opitulari persuasioni; licet tantam **D**

tam

tam eorum copiam omnium Rhetorum dam-
E nari calculis ; licet experiētiā teste à verè
 prudentibus improbari , maximè sacris in
 Concionibus ; licet divinæ gloriæ plurimum
 officere ; licet sexcenta alia inde fluere detri-
 menta non ignorent ; tantâ nihilominus vo-
 luptatis Auditoribus adspēgēda , sibiq; hinc
 gloriæ conciliandæ flagrant libidine, ut totâ
 id genus salsamentis Orationem, atque Con-
F cionem adobruant. Quid quod hanc eandem
 in rem commodè quoque observârunt non-
 nulli , quemadmodum perditæ muliercula,
 quæ neq; claris familiæ natalibus, neque mo-
G rum elegantia, neque dotis opimitate nupui
 elocari, honestoq; conjugio maritari possunt,
 vulgatâ nō rarò pudicitia, in scorta discedit;
 tum , ut æstuentes hominum affectus impu-
 rissimis lenociniis palàm laceſſant , faciem
 pigmentis adulterare, inter capillorū ordines
 Veneris retia tendere , in sinu integros pro-
 pemodum Floræ hortos gestare solita sunt:
 ita qui spe omni honestæ laudis promerendæ
 incisa, Auditorum gratiam neq; argumentorū
 apparatu, neque morum suavitate, neque
 affectuum vi , neque persuadendi nervo libi
 demeriri possunt, ipsumq; voluntatis consen-
H sum dicendo emungendum, tanquam nobile
 connubium frustra præſant : plerumque ad
 meretricias vitiatæ eloquentiæ artes hujus-
 modi inhonestè confugere , styli adulteria
I vani exponere, verborum flosculis, acumi-
K num stricturis, argutiarumque salibus, quò ab
 imperitis adolescentibus, vel à nugatoribus colle-

collegis, medicatâ inescatis dulcedine, inful-
sissimi plausus stipem exprimant, Orationes,
Concionesq; suas nequiter prostituere? ô vo-
luptatis servum pecus! ô castæ, castigatæque
eloquentiæ dedecora! Venustas quidem Ora-
tionis spernenda non est: quin omnem illum,
qui persuasionem non remoratur, cultû ultro
jam supra requisivi. Videndum tamen, nec
quid nimis, modusque apprime tenendus est.

*Oblectandi laurcola Adversarii expo-
suntur.*

184. **Q**uid si ego iam delicatos istos De-
clamatores hac etiam qualicun-
que oblectationis evocandæ gloriolâ, tam
suâ, tamque sibi, ut ipsi prædicant, additâ
nullâ ut vi durissimò ipsorum servitio, si eos
ita jactantes audimus, subduci posse videatur,
carere demonstravero? quid si argumentis
effecero, voluptarios istos dicendi artifices,
si cum nostris contendantur, ad deliniendos
jucunditate Auditores ineptè planè perorare?
Quid si extorsero, nullos concinnè magis,
quàm Ciceronianæ candidatos eloquentiæ,
conformare Orationem? Tunc scilicet Ad-
versarii naufragio non tantùm ingenii, ve-
rùm etiam oblectationis; non in mari impe-
riti, ac fluctuantis vulgi, sed in ipso vestrum
omnium, hoc est, sapientissimorum virorum
portu demergentur.

185. Sed antequam propiùs cum Adversa-
riis congregiar, perspicuitatis gratiâ quero

ex

ex illis , quo delectationis genere se antele-
 rendos contendant , Oratorione , an extre-
 neo ? Nam si decernunt voluptatem suis ab
 Orationibus , eujusmodi ea sit , longè mi-
 jorem , quam à solidâ eloquentiâ , procreari ,
 in ipso meridie turpiter cæcutiunt . Si enim
 quacunque oblectatio , etsi minimè Orator
 ria , neque Oratore digna , ab istis tamen
 recipitur , ineptiam statim videtis . Dele-
 ctant quippe & poetæ carminibus , & multo
 quidem , quàm Oratores , jucundius , utpote
 quibus delectatio curæ præ omnibus , cordi-
 que est : oblectant etiam digitorum præstigiis
 Circulatores in foro : oblectant & Mimi por-
 tentosis gestibus in scenâ : oblectant & Ci-
 tharædi suis fidibus in aulâ . Num igitur Con-
 cionator , quò blandius oblectet , & Poetæ
 carmina , & circulatorum præstigias , &
 mimorum rictus , & citharædorum fides
 afferat in suggestum ? quis adeo hebes , atque
 excors hæc tam portentosa mediteretur ; Age
 de Oratorum , vel Concionatorum ordine
 aliquis mimi gestus in pulpito ad unguem
 omnes pro Oratoriis representet . Caput
 principio statim apprimat pectori : deinde
 longior assurgat : mox summis pedum insiliet
 digitis : tum se in globum colligat : momento
 se explicet in saltum : rursus capite genibus
 inserto , manibusque pedem utrumque , flexis
 poplitibus , coxendici subjectum complecten-
 tibus , totum corpus in pilam veluti cogat , &
 per suggestum volvat ; illico postea luxatâ
 dorsi vertebrâ , averfis manibus arcuatus ,
 terram

terram tangens, pontis referat absidem: jam **E**
 manibus humi defixis; pedibusque in altum
 sublatis, pronus in caput inambulet? nunc
 per brevi pallio scitè caput obnubat: modo **F**
 labia binis digitis vastum in hiatus diducat:
 subinde alias atque alias gesticulationes, in-
 eptiasque frequentet. Jam si quis sive Ora-
 tor, sive Concionator hos gestus exprimat in
 suggestu, an non voluptate recreabit? an dul-
 ci quodam illicio non rapiet? Oblectabit si-
 ne dubio, & quidem maximè; quin etiam
 cunctos solvet in risum. At illa per Mimi ge-
 sticulationes ab Auditoribus, vel Spectatori-
 bus elicita voluptas num Oratoris, aut Con-
 cionatoris officio congruit? an fini utriusque
 consentanea est? num sapienter, atque ex arte
 Oratoriâ mimici hujusmodi gestus in foro,
 pro rostris, in senatu, aut in templo ab al-
 terutro redduntur? nullo modo. quidni au-
 tem reddantur? atqui jucundissimam volup-
 tatem, quam unam Adversarij dicendo co-
 nantur excitare, ingeniosâ talium motionum
 assimulatione suis Auditoribus allinent. Cur **G**
 ergo gestus hujusmodi ad eum oblectationis
 finem adeo accommodati, ab iisdem non ad-
 hibeantur? Cur negligantur? Nimirum quod
 Oratoris certi quidam, propriique sunt ge-
 stus, quorum venustate, sermonis, aut Orati-
 onis pronunciationi eleganter, prudenterque
 ancillatus, propriam etiam, certamque Ora-
 toris oblectationem gignere, suo à munere
 jubetur. Quemadmodum igitur Oratoris
 proprij quidam sunt gestus; ita etiam propria

N

qua-

quædam est dicendi forma, & peculiaris quoque delectandi ratio: atque ut per gestus Oratorios Concionator longè diversam voluptatem ab eâ, quàm per Mimicos ferit, Auditoribus inferit; ita etiam Auditores à solemniori eloquentiæ stylo longè aliam, quàm à Poetis, vel ab aliis artificibus, oblectationem percipiunt. Quamobrem si absurdissimus est, qui Mimicos gestus pro Oratoriis in Oratorio suggestu temerè substituit: ex a quo etiam præposterus est, atque amens, qui pro elocutione, atque oblectatione Oratoriâ, Poeticum stylum, oblectationemque ineptè supponit. Quid verò, si quis insanæ mentis Auditor Mimicos ab Oratore, vel à Concionatore gestus expectaret, aut posceret? Num is, aut ille tam inconsultæ expectationi, impudentique postulato salvo Oratoris, atque Concionatoris officio, & pudore, annuere posset, aut respondere? nihil minùs. At vos, Patres sapientissimi, ponite jam, aliquem levissimum ardelionem impotentissimumque oblectationis captatorem, oblectationem minimè Oratoriam, sed Mimicam, sed Poeticam, sed Comicam, sed scurrilem ab Oratore præstolari, ac requirere; neque se unquam illi, nisi hujusmodi delinitum oblectatione, plausus ullam strenam daturum, aut rehedonaturum, apertè profiteri. Equane, an iniqua; honesta, an absurda; sana, an insana ab ipso præstolaretur, ac peteret? Imò nihil iniquius, nihil absurdius somniaret; neque Orator suo muneri, atque ejusmodi petitioni

ni tam vecordi posset unà satisfacere. Sed extra hanc amentia aleam se longè fitos clamant Adversarij; sibi que non minùs omnem delectationem, quæ Oratoria non fit, quàm Mimicos gestus, in Oratione fatentur displicere. Ego verò, Auditores, insignem hanc, insolitamque Adversarijs meis modestiam etiam atque etiam gratulor, illosque de tam prudenti, & pudibundâ sententiâ amo vehementer.

*Oblectatio Oratoria, honesta esse debet,
ac persuasioni congruere.*

187. **V**idendum igitur primò, diligenter-
que investigandum est, quænam,
aut qualis sit hæc delectatio germana, le-
gitima, & propria Oratoris. Quid hic a-
junt, quid sentiunt voluptatis architecti
Declamatores? Quænam oblectatio ab Ora-
tore tanquam verè Oratoria aucupanda est?
Illa profectò, & sola, quæ & honesta est, &
Oratoris fini, hoc est, persuasioni perquàm
officiosè servit: Honestam datâ operâ de-
lectationem, prudentissimi Judices, designo,
ne cui in mentem veniat, Oratorem gano-
nem esse aliquem, vel Epicurum, qui turpi **A**
impurataque assuescat, vel indulgeat volup- **B**
tati. Si quis enim ita desiperet, ut quam-
cunque oblectationem seu turpem, seu ho-
nestam ad Oratorem pertinere arbitraretur: **C**
ego sanè istiusmodi rabulam non in Orato-
rum ordinem plenum honestatis, ac digni-
tatis

tatis retulerim, sed in pecudum potius brutorumque foetidissima stabula meritissimo detruferim. Neque mihi verbum ullum deinceps cum tam probroso hominum genere, qui non tantum Oratoris munus, & nomen amplissimum ignaviter deserunt; verum etiam honesti hominis mores, ac decus flagitiose exunt, seseque in bekuarum sordes, lutumque turpiter abijciunt, faciendum putarem. Quid enim? quum Rhetorica ars honestissima sit, qui potest turpem pati, ne dum parere oblectationem (quumque omnes artes civili disciplinae, seu Politicae, ut apud omnes Philosophos vulgatum est, & Philosophorum Princeps Aristoteles perspicue docet, famulentur, earumque fines peculiare, atque privati ad hujus amplum, & omnium maxime universum, hoc est, ad civilem felicitatem spectare debeant; Rhetorica autem ars certe quaedam sit, & artium omnium regina, nempe Politica, humanae quidem, Orationis instrumentum, divinae vero, sacrum opus Concionis suppeditet: quo pacto ad eum supremum finem, hoc est, ad beatam vitam seu temporariam, seu aeternam potest perducere, si pro honesta turpem delectationem profert? Et quicquamne vere beatitati magis adversum inveniri potest, quam turpido? Sane Oratoris, Concionatorisque honesti, qui in Foro, in Curia, vel in Templo versentur, officia sunt, quum dicunt, ea suis Auditoribus proponere, quae eos ad civilem, caelestemque felicitatem consequendam adjuvant,

ac promovere queant; quo munere quid honestius, aut speciosius esse queat?

188. Non tamen satis est, Auditores, ut oblectatio Oratoria evadat, esse honestam, nisi Oratoris quoque fini, ut dixi, velificetur, Est quippe finis quâvis in arte, prima norma, certissimaque regula, quæ omnia metitur, ac regit; nihilque, quod ab illo non imperetur, ullam ad artem attinere potest. Quorsum enim quæcunque instrumenta huic potius arti, quam illi, addicantur; & subulam ars su- **A**
toris magis, quam pictoris; contraque ista penicillum potius, quam illa, sibi asserat; nisi quia ad pingendi finem non subula, sed pe- **B**
nicillus; atque ad suendum non mollis pe- **C**
nicillus, sed peracuta subula, eodemque modo ad reliquarum quoque artium proprios fines, certa quædam instrumenta de industria conformantur? Pari igitur omnino jure nullum ad artis Oratoriæ; ut ita loquar ditionem instrumentum, nisi cum ejusdem fine concinat, spectare, ratum, fixumque est. Quis verò alius Oratori finis, nisi animorum persuasio, ut jam antea firmissimè stabilivi, vindicari potest? Jam si de oblectatione Oratoriæ ita philosophari lubeat, sicut omnes dicendi magistri ad hanc usque diem sunt philosophati, illam Oratoriæ facultati tanquam instrumentum adscriptam, subjectamque reperiemus. Nam, quum iidem dicendi magistri passim ajunt tria esse munera Oratoris, docere, movere, & delectare, nihil aliud videlicet innuunt, quam argumenta, quæ
N 3 potif-

potissimum docent; affectus, qui maxime movent; mores, qui precipue delectant (sive autem id singula hæc separatim per se prætent, sive conjunctim cum alijs, nihil ego in præsens laboro) totidem esse ad finem persuadendi, qui Oratoris proprius est, adipiscendum commoda instrumenta. Necesse igitur erit, delectationem, quò Oratoria sit, ad eundem persuasionis finem collineare; quumque oblectatio Oratoria Oratoris sit instrumentum, nisi ad ejus finem, hoc est, ad persuadendum conducat, nullo prorsus nomine Oratori harere posse. Illa ergo oblectatio, quæ inani hilaritate implet Auditorem; illa, quæ mentem à causâ avocet; illa, quæ eo fertur, ut in admirationem ingenij dumtaxat excitet; illa quæ affectionum commotiones eludit; illa, quæ rationum vim emollit; illa, quæ plausus rumusculos tantum spargit; illa denique, quæ persuasionis alia adjumenta perdit, vel utcunque deterit, quum Oratoris fini minimè consentiat, Oratoria esse non potest.

189. At demonstrativo generi delectatio quodammodo consecrata est, quin igitur in eo liberius illa spatietur? quin hilarius longè se effert, ac tripudiet? Patior equidem ampliores in laudatione campum oblectationi patere. Sed dummodo oblectatio instrumentum maneat, neque in finem planè degeneret. Nam, ut supra jam vici, omnis delectatio Oratoria, etiam in Panegyricis, persuasionem velut finem intueri debet, à quâ si Auditorem abdu-

abducatur, vel alienetur, desinit penitus esse Oratoria, vel Concionalis.

190. Quid faciemus ergo compluribus Auditoribus vesanâ quadam, impotentique libidine æstuantibus, quorum nonnulli ab Oratore, multam eruditionis copiam exigunt; non pauci peregrinam doctrinam petunt; multi Philosophiæ apices flagitant; plerique abdita Theologiæ mysteria desiderant; alij infinitam **A** apophthegmatum, proverbiorum, historiarum vim expetunt; alij Juris peritorum sexcenta decreta poscunt; alij innumera Medicorum placita cupiunt; alij confertarum sententiarum agmen ex acutioribus coactum verbis recitari volunt; alij demum integrum Polyanthæ, varij nempe, multiplicisque **B** voluminis penum exhauriri, vel potius totam **C** silvam ita impeditam, ac densam cædi, atque in Orationem, Concionemve transferri peroptant? Perinde sanè omnes isti desipiunt, manifestoque insaniunt, ac qui à pictore calceos, à sutore pharmacum, à medico aratrum, à factore ollam, ab aurifice cucurbitam **D** requireret. Quippe quum ab Oratore, nihil aliud ullus postulare, quàm ut accommodatè ad persuadendum dicat, jure queat: ubi Auditores insitâ levitate, aut curiositate de rationis potestate dejecti, ejusmodi levidensas à persuasionem tam abhorrentes (quum nullâ scilicet moderatione temperantur, neque ullum ad finem referuntur) ab illo postulant; id nimirum postulant, quod ipse, si Orator esse velit, præstare non potest, quodque multo magis

concinne. Mimi, Comædi, atque Circulator
 Eres, qui toti sunt in deridiculis componendis
 præstarent.

*Adversarij. Oblectationem Oratoriam, vel
 Concionariam minimè afferunt.*

191. **N**unc, quoniam quæ, aut qualis de-
 lectatio ab Oratore proficisci de-
 beat, compertum est: edisserant, quæso, Ad-
 versarij, quamnam hujus formæ, non dico
 voluptatem, sed voluptatis speciem præbere
 possint? Illine delectationem ullam Orato-
 riam aliquando conciliabunt? Quid? si oble-
 ctationem, quam Orator gignere debet, quæ-
 que solam ab eo expectare potest Auditor,
 persuasionis conciliatriculam esse oportet; il-
 line, qui persuadendi munere se penitus abdi-
 carunt, atque id delectationis genus, quod
 non solum persuasioni nihil prorsus opitula-
 tur, sed plurimum etiam refragatur, studiosis-
 simè consecantur, ullum Oratoriæ delectatio-
 nis vestigium imprimere poterunt, aut relin-
 quere? Quid multis opus est, Auditores? Inex-
 phicabili laqueo Logodædali isti Declamato-
 res, luxuriantis patroni voluptatis, icretiti, at-
 que contricti tenentur. Illa quippe eadem ar-
 gumenta, quibus se dediderunt, quibusque
 jam pridem Orationes à persuadendi sine toto
 coelo distantes ab eis tornari luce meridianâ
 elariùs ostendi; planissimum etiam hic cuivis
 faciunt, non minùs hoc delectationis, quam
 tantopere amant, genus ab eodem persuasio-
 nis

nis tramite infinito penè intervallo discedere. At necesse non est superiora repetere, vel longinqua arcessere, quum ultro ipsi persuadendi vi, ingeniique prærogativâ se planè orbatos, palàm confessi sint; ut duo hæc, quanquam ingentia, dâmma hac unâ oblectationis gratiâ relarcirent. Quid ergo ab his præterea requiramus? Cui jam dubium, vel obscurum sit, talem ab eis oblectationem afflari, quæ cum persuadendi curâ non possit ullo modo consistere; ac proinde non Oratoriam ab iisdem, sed, nescio quam, aliam exoticam, atque errabundam esse præstolandam? Omiram meorum Adversariorum memoriâ, & fidem! En, paulo ante argumentis à me compulsis, omnem oblectationem, quæ Oratoria non esset, non minus, quam Mimicos gestus, in Oratione sibi displicere, censoriâ propè severitate, & gravitate pronuntiârunt: nunc aliis illaqueati rationibus, aurâ leviores, coguntur, quod jam concesserant, revocare, tandemque candidè fateri, delectationem ejusmodi Oratoriam à se minimè conslari; sed nescio quam aliam extraneam, & peregrinam. Unde non ægrè, opinor, dispicitis, Auditores, cum quibus desultoriæ artis hominibus mihi hoc loco resistit, atque contentio. At enim obstrepunt isti. Nos ubique nobis probè consentimus. Oratoriam delectationem nobis esse propositam, semel professi sumus, atque hic iterum sustinemus. At cum eâ oblectatione, quæ velut instrumentum ad persuadendi finem destinatur, nihil nobis commercii est, qui persua-

sionis sollicitudine liberi sumus: aliam nihilominus sexcentis nobiliorem partibus, & tamen adhuc Oratoriam exprimimus.

192. Verum nullum est, Auditores, in hac fugâ per fugium. Nam hæc tam blanda delectatio, quæ persuadendi instrumentum, ut bella ista capita fabulantur, non est, quandoquidem illam adhuc Oratoriam esse volunt; quæro, quo nomine ad Oratoris finem pertinet? Duo diverticula Adversariis meis superesse animadverto. Nam primò quavis in arte magna delectatio ex ejusdem finis adeptione naturaliter emicat. Idcirco enim venator nunquam adeo voluptate liquefcit, ac, quum prædâ tot laboribus partâ fruitur: neque architectus aliâs tanto triumphat gaudio, quanto, quum ingentem palatii, vel Templi molem exædificavit; neque pictor ita exultat, ac, quum elegantissimam in tabulâ imaginem pinxit, atque absolvit. Imò non ipsa tantummodo finis consecutio magnum habet in singulis artibus oblectamentum, sed ipse etiam conatus contentioque ejusdem comparandi nescio quam præflorat, atque anticipat voluptatem. Porro si qui istorum artificum majorem ex lucro, quæstuque, quem suis ex opificiis faciunt, delectationem captant, atque experiuntur: hujusmodi certè delectatio nullo modo ab iis artibus, quæ cum extraneis illis lucris nihil habent commune, neque ab illis artificibus, quæ tales artifices sunt, sed quæ homines egestate, vel cupiditate sollicitantur, ut perspicuum est, derivatur. Fac enim liberalem aliquem virum
ab

ORATIONIS DELECTATIONE 299

ab omni quaestu alienum venari, architectari, pingere, summam hic sine alio lucro ex captâ prædâ, exstructis ædibus, pictâve tabulâ percipiet jucunditatem. Atque hoc eodem modo reliquas artes, atque artifices ratâ portione metiri licet. Quin & natura ipsa universa delectationem non nisi actionis, atque operis ancillam, ut ita dicam, à tergo voluit esse, effectusque seu finis jam expleti ordinariam prolem. Muta ipsa saxa, Auditores, ipsas arbores, atque animantes interrogate, si placent, quamnam voluptatem naturæ tributam munere sentiant: & singula, si loqui possent, aut fallor, aut responderent: saxa, quum mediæ Mundi loco, in quem feruntur, propius quiescunt; arbores, quum pomis, quibus producendis omnem è radicibus humorem evocant, onerantur; animantes, quum suos fœtus, quos tantis parturiunt laboribus, tandem enixæ sunt, summopere se delectari. Nempe viator omnis, Auditores, ubi ad viæ finem, terminumque multo cum sudore pervenit, incredibili jucunditate recreatur. Haud secus igitur Oratori quoque, ubi suo fine potitus fuerit, vel ad eum obtinendum accommodatè dixerit, mirificam accipiet voluptatem. Quod si qui venales Oratores aviditate, vel ambitione titillati, ex quaestu, vel honore oblectationem querunt, hæc utique non Oratoricæ artis, sed cupidorum hominum aucupia sunt. At id diviticulum Adversariis meis, quò minus concelabantur, jam oculum penitus, atque oppressatum est. Nam quum illi persuasionem, ora-

toris finem deferant, atque contemnant, nequeunt scilicet ullam oblectationem, quæ ejusdem persuasionis finem postea excipiat, fingere, aut mentiri: sed hæc voluptatis indidua nostris. Oratoribus coactio, qui totum sunt in persuadendo, vel non quaesita ultro, perpetuoque comitatur.

Adversarij delectationem Auditoris in finem sibi dicendo constituerunt.

193. **N**ihil nos ista commovent, reponunt hic melliti Declamatores. Hæc telone summam quidem cutem nobis perstringunt. Neque enim nos de eâ, quâ is, qui dicit, perfunditur, oblectatione; sed de eâ, quæ in Auditores ipsos redundat, tricamur. Hoc nempe alterum erat diverticulum ad hanc qualemcunque oblectationem in Oratoris arte retinendam. Atqui ego de industriâ ad hastineris angustias diu jam Adversarios meos expecto, Auditores. Sicam modò pugionemque expedio, jugulo nihil minus opinantium improvisus immineo, palantes, sine spe fugæ, omnes extemplo confodio. Delectationem Adversarij mei nolunt esse persuasionis instrumentum, nolunt esse Oratorii finis corollarium, quid ergo volunt? hoc unum restat, ut eam Oratoris finem ipsam, & quidem præcipuum, quem in Auditoribus demulcendis maximè intueantur, decernant. Hoc verò durum illud demum istorum placitum est, hoc durum decretum, quod diu tegunt, atque involvunt.

volunt. Sed frustra omnino, frustra. Si enim delectationem hi ad persuasionem eliciendam potissimè referrent: ut omittam ponere illos iterum, quod tam obstinate sæpius negaverunt: conveniret jam prorsus inter nos, neque ulla amplius discordia superesset: quum & nos quoque oblectationem quidem afflandam censeamus, sed ad persuasionem præcipuè extorquendam, conciliari oportere existimemus, sapiusque jam id testati simus; atque adeo omnem delectationem, quo magis, minusve persuasioni conducit, vel obest; tanto etiam magis, minusque Oratoriam esse, nec non confectandam, vel ablegandam asseveremus. Verùm Adversarii persuasionis contemptores, ac perduelles oblectationem profectò nequeunt nobiscum persuasioni subicere: sed, dum se totos mânticipant voluptati, voluptatè tanquam primarium finem deligunt, ac veluti summum Imperatorem, cui omnia Orationis firmamenta, & signa pareant, imprudenter inaugurant. At tantum abest, Auditores, C. ut hæc oblectatio, quam finem Oratoris in Panegyricis præcipuum esse isti contendunt, Oratoria sit, ut sui etiam patronis nomen ipsum adimat Oratorum. Satis enim jam longâ disputatione ostendi, nullum, qui ad persuasionem dicendo præcipuè non grassaretur, in Oratorum album cooptari posse; & qui suis in lucubrationibus oblectationem potissimè cordi haberet, à Poetis minimè discerni. Atqui delectationem finem esse Oratoris præcipuum voluptarii Declamatores

pronuntiant. An non igitur oblectationis amore abrepti, velint, nolint, ipsomet Oratoris munere, nomineque sese exuunt; neque amplius huiusmodi oblectationem, quin ab Oratoriâ sit quàm alienissima, ullâ larvâ tege-re, aut dissimulare possunt? Desinant igitur illi oblectationis aucupes se pro Oratoribus venditare; sed potius se Poetas, Histriones, Comœdos, ac Mimos, scitos nempe omnes promos condos voluptatis agnoscant. Quod plane, si agnoscerent aliquando, etsi piaculum maximum sit, eum, qui Oratoris nomen gravissimum sustinet, in tam ignobiles artifices degenerare; at spei saltem esset aliquod vestigium; illos bonam ad frugem Oratorum aliâ se recepturos, neque ego iisdem, si se pro Comœdis, aliisque id genus hominibus gererent, amplius succensendum putarem. At dum hinc se Oratores ipsius Suadæ filios constanter dicunt, & jactant; illinc verò oblectationem non Oratoriam, sed Mimicam, Comicam, Histrionicamque sibi tanquam sineâ principalem curæ esse denuntiant; eorum ego iudicium, ut lenissime dicam, maxime desidero.

194 Quid nostra refert (en quò descendat, & pergat meorum Adversariarum modestia) quid ad nos, inquit, cætera omnia, dummodo summopere delecteris? Is tandem noster finis est, quid diutius tergiversamur? Quàm enim pellax, quàm blandus est? Non sit autem hæc delectatio Oratoria, neque Concionalis; nolumus repugnare pertinacius: esto. At quos.

quos ad plausus rapit Auditorem? quantâ illum, quantâ hilaritate demulcet? O voluptatis improbum fascinum, quod mentes istorum adeo hebetavit! Nam si delectationem, **A** et sineque Oratoriam, neque concionatoriam, jurati affectu voluptatis, captatis; cur Mimicam repudietis? ut quid Poeticam non admittatis? quem ad finem Histrionicam aspernemini? quapropter Comicam proscribatis? Præterea, si oblectationem ab Oratoriâ dissidentem semel adamatis; quidni etiam gestus, quanquam nullo modo oratori consentaneos? quidni Comicam quoque pronuntiationem in Oratorio pulpito exprimatis? quidni Mimicos pariter flexus? quidni Histrionicam etiam actionem? quidni Poeticam simul cantilenam? quidni scurriles quoque mores, & gestus? Quippe tam longe à gestu, actione, & pronuntiatione Oratoriâ Mimicus gestus, Comica pronuntiatio, actio Histrionica, Poetica cantio, scurrilesque mores distant, quam vestra hæc exotica, exuberansque delectatio à stylo, ac delectatione pariter Oratoriâ. Jam vero quæ monstra video, Auditores? quæ portenta? Rebar ego, certamen mihi cum Oratoribus, vel Concionatoribus fore; aut umabam pedem mihi cum Declamatoribus saltem, politulis illis quidem, sed Declamatoribus tamen conferendum. At ecce cogor jam cum nugivendis Comædis, cum tortuosis Mimis, **B** cum levibus Histrionibus, cum jocosis Poetis, cum ridiculis scurris in arenam descendere. atque haud scio, an ipse Hercules (quando in præ-

præfens cum fabulatoribus juvat paululum
 C fabulari) in Augiæ stabulo tot sordes inve-
 D nerit; quot mihi in olidis istorum seu Ora-
 E tionibus, seu Concionibus lutosæ inquina-
 menta delectationis eluenda sunt. Jam mihi
 scilicet novus, ut cerno, nascitur labor; nunc
 opus aliud Ætæa gravius denuo mihi molien-
 dum est. Verum ne jocularis evadat pugna,
 certa prius meta, in quam omnia convertam
 spicula, depangenda est.

195. Tuentur Adversarii mei, ut videtis,
 Auditores, summam illam, quam in lauda-
 tionibus præcipue quærunt, oblectationem,
 etsi Oratoris finem nihil consentiat, ac propte-
 rea neque Oratoria fit, utraq; nihilominus
 esse multo dulciorem, atque amœniorem. Ego
 verò, tantum abest, ut perblandæ huic Logo-
 dædalorum voluptati quicquam concedendū
 putem, ut etiam si ejusdem aucupio totos se
 illi devoveant; contra autem nostri Oratores,
 parcè eidem, moderateq;e, quatenus scilicet
 persuasionis finis patitur, indulgeant; tamen
 hac ipsâ delectationis moderatione delecta-
 tionem haud parvo majorem, atque uberiore
 à nostris, quam ab ipsismet voluptatis archi-
 tectis, procreari censeam. Cōferamus n. si pla-
 cer, utramq; oblectationem, quâ inter dicendū
 Auditor, quum ab istis, tum à nostris afficitur.
 A Tota controversiæ stirps in eo tantummodo,
 ni fallor, versatur, quòd voluptarii Decla-
 matores immoderatam conciliare volunt de-
 lectationem, nos verò moderatam, castiga-
 tamq; serendam arbitramur. Illi à persuasionis

fine

sine peregrinantem exigunt; nos eidem con-
 junctam. Illi tanquam finem eam constituunt;
 nos ut finis adjuvmentum. Illi jucunditatis
 illicio singulos Orationis articulos unguen-
 tatos postulant; nos nihilo plus odoramen-
 torum, aut suffitus spargimus, quàm causa
 ferat. Ceterum si moderata illis oblectatio
 arderet, nihil esset amplius inter nos, ut
 dixi, dissidii, quum nullus Orator accuratius,
 quàm nostri, moderatam delectationem ad
 persuasionis finem adornet. At nullus eis in
 delectando modus potest satisfacere, ac nisi
 imoderata illa sit suam esse negant, repellunt,
 aversantur. Nam ubi, nescio quam, acuminū
 pultem, densamq; adeo farraginē coquunt, ut **B.**
 quot ipsi stipant argutias, tot è saccharo glo- **C.**
 bulos in os Auditorum à se indi existiment; ubi **D.**
 ingentem antithetorum imbrem effundunt,
 ubi piperata infarciunt dicta; ubi lepores
 corradunt; ubi nomina, & vocabula delicatā
 semper dolabrā lævigant, multoque minio, & **E.**
 ceruisā obducunt; ubi fensiculorum circum-
 ducto veluti circinō, cuncta Orationis mem-
 bra in veneres, in gratias, in totos Adonidis
 hortos describunt; ubi his dictionis condi-
 mentis Auditorē ab attentione rei propositæ
 avocant, ubi eundem Auditorem ad artificiū,
 atq; ingenium Oratoris primò cōtemplandū
 identidem excitant: ubi denique argumentorū
 vim, quò minùs in animum penetrent,
 remorantur: quid nisi immoderatam delecta-
 tionem venantur? quid nisi extuberantiæ ge-
 nus omne jucunditatis propinant?

Non

*Non oblectant Adversarii, quia non sunt ing-
niosi, gignuntq; fastidium.*

196. ¶ Am verò si perspicue docuero, Audi-
tores, delectationem, quæ modum
nescit, veram non esse delectationem; & quo
magis immodica est, eo minùs aures, aut
animos detinere; confectum erit sine dubio
illud monstrum, quod à me macandam paulò
ante promisi, oblectandique palma iniquis
extorta plagiaris, gravi, ac virili eloquen-
tia, hoc est, Ciceronianæ asserta, in liberta-
tem tandem vindicabitur. Abrumpo moras.
Immoderatam ego Adversariorum oblecta-
tionem aio Auditoribus injucundam accede-
re, quia nihil præ se fert ingenii, quia plena
fastidii, quia orbata ordine, quia honestæ
expers utilitatis. Singula inspiciamus, atque à
primo ordiamur. Cui, quæso, perspectum non
est, quanta ex ingenio voluptas, quàm co-
piosa, & decocta existat? Da mihi ingenium
acre, da follers, da vegetum, da perspicax: &
ab eo omnes in partes se se versante opera
per insignia, nova, insolita, affabre confor-
mata, præterque morem admirabilia, quibus
nimirum ad curiosas mentes voluptate com-
plendas nihil est aptius, effingi animadver-
tes. Quam enim Orator Auditores jam stu-
pore defigit; iam inexpectatis, in rem tamen
libratis, ferit sententiis, jam orationis phil-
tro extra se rapit; quid nisi promptæ, vibran-
tisq; intelligentiæ machinamentû admovet,
explicat, urget? Sin contra is, qui dicit, in-
genia

genio agresti sit præditus, si retuso, si plumbeo; quâ jucunditate deliniet? nullâ. At **C** quale, rogo, est meorum ingenium Adversariorum? (redite, quæso, in memoriam eorum, quæ haud ita multò ante disputavi) qualis sollertia præstantia? Quasi verò, eos ingenio de pauperato, tardos, præpingues, atque ob- **D** stipos non demonstrârim. Quasi, non veram ingenii formam, sed umbram dumtaxat ab eis haberi, non docuerim. Quasi, ab illorum obtusâ acie nihil serè eminens edi posse; sed **E** nugas tantùm, crepundia, apinas, ac jocos; pleraque etiam anxie corrogata, vel ostiatim **F** mendicata produci, rationum penè fideiculis non exprestierim. Quid ergo solidæ voluptatis illi, ac non potiùs evanidæ concinnabunt? Quando veram oblectationem, & non fictam, quando germanam, & non adumbratam conflabunt?

197. Verùm Adversariorum meorum Oratione, non solùm veram nequit delectationem, quòd ingenio destituta sit, afferre; sed etiam quòd fastidio impleat, atque alienet. Memini me, quum de argumentorum corruptelis agerem, revicisse, immodicâ istâ ornamentorum frequentia eorundem vim argumentorum, quòd ingenti satietate attentionem obruat Auditoris, imminui. Atqui satietas non minus voluptati inimica est, quàm attentioni. Hoc igitur telum jam aliâ in arenâ non indecore rursùm, imò multo robustius in Adversarios torquere necesse habeo. Est enim natura sapientissimæ insito quodam afflatu **com-**

comparatum, ut certus modus, quem illa quibusque in rebus apprime amat, oblectationi quoque sit definitus. Aures tantam sibi mensuram soni, quo tanguntur, deposcunt, quam si valde excedat, eo non excitentur, sed quæ-

A admodum iis, qui ad Catadupa Nili degunt, contingit, hebetentur. Oculi, qui lumine recreantur, lucis quendam terminatum modum desiderant: at si immodico splendore ob-

B fideantur, non acuuntur, sed occæcantur. Palatū dapes, quibus irritatur, aptè conditas & temperatas requirit; sin bolo nimis calido, ferventiq; tentetur, uritur, atque affligitur. Fer-

Cream fistulam, vel æneos tormentorum tubos, si præter statam, quam ferunt, mensuram, mirrato farcias pulvere, illicò dissiliunt. At idem profus in voluptate usu venire, manifestum est. Nam moderata corporis exercitatione

quid jucundius? Leni per apricos campos inambulatione quid suavius? Animum refocillat, & vires reficit; at si gradu concitatissimo per asperas valles, arduosque colles diem integrum curras; sudore disflues, & labore frangeris. In cantu peracutæ flexiones, & falsæ

voculæ murè blandæ sunt, nihilq; delicatius his aures excipiunt. At vocè si nimiū attollas, vel deprimas, quæ stridulo, raucoq; eas mur-

mure cruciabis? Quis porro sensus tantopere impellitur voluptate, atq; gustatus? At numquid

cibus ita suavis est, quæ, quum fame condiente dulcescit, tantumq; ejus de voluptate demittitur, quantum de fame edendo detrahitur. Quod

si, ubi famis nulla irritatio est, cibos in os

co

coneris ingerere, non oblectationem, ut in
saturis jam, aut in languidis, vel ægrotis cer-
nitur; sed cruciatum intolerabilem apporta-
bis, adeoque intolerabilem, ut non pauci eâ
vident molestiâ, mori malint, quàm cibari.

D
E
F

Quis autem mitia poma secundis tantùm mē-
sis apponenda, singulis prope ferculis infe-
rat? & quale, obsecro, erit tale convivium?

Peperatæ dapes linguam, ac palatum laces-
sunt; quid si integra è pipere coagmenta

G
H

edas obsonia? sapientne? Acris est aqua ar-
dens, fauces deterget, urit. Modica grata est,
stomachog; utilis. Quid ergo? Illane dum-
taxat sitim totâ mensâ, omisso vino, restin-
gues? Si in dies iusto prandio, frugaliqu; cœ-
nâ naturæ pareas necessitati, vires redinte-
grantur. Sin plus æquo ciborum vores, sto-
machum non ales, sed onerabis: non jucun-
ditatem metes, sed dolores seres. Nempe cer-
tis quibusdam legibus natura inclusa est, cer-
tos habet, & circumscriptos quacunque in re
fines, ad quos vires suas commodè potest por-
rigere; extra quos si eam porro trudas, labo-
rat, fatiscit, succumbit. Quocunque nimirum
illa pergit, aut se movet, semper viæ comitem
modum legit. hoc defecta, simmani gemit sub
pondere, planeq; opponitur.

198. Adime enim inambulationi, vocibus,
& lapibus modum; hæc illico in quantum
cunctos adducent fastidium? Vides, ut inam-
bulatio immodica non delectet, sed fatiget?
Vides, ut modi expers stridor aures non de-
mulceat, sed flagellet? Vides, ut multa sine

mo-

A modo comessatio palatum non titillet, sed perdat? Tu verò, qui tuis in declamationibus, quas frustra Orationum, Concionumve speciosis donas nominibus, sine modo oblectare cupis, scilicet modum tolerare potes. Acuminum dapes crebrò usurpas.

B Sub primum missum acumina invehis; secundo missu acumina reperis. Satis est. Nihil minus. Tertium, quartum, quintum, decimum, centesimum missum acuminibus obruis. Eia! desine tandem. Primæ amovenitur mensæ, succedunt secundæ; & nihil in illis præter acumina? nihil prorsus. Acumina ex integro, ac si nunquam libasses, submittis. At Auditoris palato quid, rogo, tam immoderata acuminum copia molestius esse potest? quid injucundius? Tu illum ad tuæ sive Orationis, sive Concionis convivium invitasti rectè. At ille acuminum helluo non est, non

D est fensiculorum comessator. Sale quidem sententiarum condita amat obsonia, sed non est sale tota quid enim magis insulsus? Piper etiam argutiarum perspersa fercula nõ repudiatur, at è pipere integra minimè patitur. Farris quoque modum affert finitum, paucisque ferculis contentus est. At tu libum sententiarum non unum, sed plura ex sale tota; ferculum fensiculorum non unum, sed plura, ex pipere integra ingeris. Et putasne tuo hoc illum convivio oblectandum? imò nihil magis stomachabitur. Vix tamen primus missus absolutus est, quum sub secundum iterum alias ex acuminibus placentas adhibes. Rursum

sum argutiarum papavera, rursus lepōrum
 fercula, non una, sed bina, terna, septena,
 dena, centena agminatim intrudis. O elo-
 quentiæ decoctorem! ô everforem styli! At-
 qui ista omnia Auditorem voluptate sibi non
 demerebunt, sed fastidio infestabunt. Dum
 enim huiusmodi dictionis, scitamenta mode-
 ratè prompsisti, dum tot fercula, quot satis
 erant ad explendam perceptæ causæ famem,
 id genus acuminibus temperatè condita ap-
 posuisti, miram hausit delectationem Auditor.
 At dum supra hunc modum tu pluribus sen-
 ficulorum dapibus luxurians, acuminum mille
 aliis ferculis palato illius, atque stomacho il-
 ludis, non tu illum oblectas, sed tædio afficis;
 non illum exhilaras, sed exagitas, non gusta-
 turæ ejus laceassis, sed obtundis.

199. Quocirca limati viri iudicii Fabius
 Quintilianus horridâ mavult, & meritò, Ora-
 tionem, quàm sine modo ornatam. * Ego verò
 (inquit) *hac lumina orationis velut oculos*
quosdam esse eloquentiæ credo. Sed neque oculos
esse toto corpore velim, ne cætera membra officium
suum perdant. Et si necesse sit, veterem illum
horrorem dicendi malim, quàm istam novam
licentiam. Sed patet media quadam via. Sicut
in cultu, vitæque accessit aliquis citra reprehen-
sionem nitor, quem sicut possumus, adijciamus
virtutibus. Prius tamen sit vitijs carere, ne dum
volumus esse meliores veteribus, simus tantum
dissimiles. Hactenus Rhetorum disertissimus,
 à quo calamistrati isti Declamatores ita dil-
 fen-

* lib. 8, cap. 5.

sentiunt, ut vitium carere vitium judicent, totique in eo sint, ut quo veterum dissimiliores habeantur, tanto in dies peiores fieri studeant, quanto in acuminibus nimio plus coacervandis molestissimâ satietate Auditores delassant. Idemq; generatim de quacunq; ceterorum ornamentorum intemperantiâ, luxuq; dictum, atque conclusum existimate.

199. Quamobrem, quum Adversariorum Orationes, atque Conciones, ut appellant, tantum fastidii Auditoribus, dum immodicâ affectant delectationem, impingant, quis non facile colligit, quàm longè illi omnem vere delectationis imaginem arceant? quis hinc non experitur, immodicam voluptatem nihil aliud demum esse, quàm voluptatis satietatem? hanc ipsam satietatem non modicam esse immodicæ oblectationis poenam? exuberantem aurium jucunditatem in magnam crucem, summumq; horrorem converti? Non oblectant igitur Adversarii, quia incredibile fastidium, quod erat delectationis alterum præpedimentum, dicendo afferunt. Jam de ordine reliqua prosequamur.

A *Pulcher ordo promus condus est egregio delectationis.*

200. **C**oncinnus ordo, Auditores, ut est sollertis proles ingenii certissima, de qua prolixè jam supra; ita quoque voluptatis genitor est elegantissimus, de quo in præsentia. Quantum enim jucunditatis, quum

quum domum in cubicula aptè, graphiceque
 tributam primùm intras, statim oboritur?
 quantum suavitatis, quum exercitum benè
 dispositum, quadratoque incedentem agmine
 intueris? quantum lætitiæ, quum saltatorem
 tam numeroſo pedum motu tripudiantem
 ſpectas? quantum hilaritatis, quum citharæ-
 dum tam explorato digitorum flexu parces
 imparesque chordas impellentem auſcultas?
 Ipla humanorum vultuum tam grata pulchri-
 tudo, quæ, quum aſpicitur, tantam habet ille-
 cebram oculorum, unde, niſi ex ordinata memo-
 rorum omnium conſtitutione gignitur? Quid
 ubi Stellarum admirabiles illas figuras tam
 ingenioſè partitas, ubi coeleſtium orbium a-
 deo ſtatas converſiones, ubi elementorum
 mutuò pugnantium tam firmum nexum con-
 templaris; quanto repente gaudia circumfluſis?
 Sed age, ab hiſce rebus omnibus jam ordinem
 paululùm remove, atque ex templo de omni
 delectationis veſtigio actum erit. Tolle pri-
 mum ab ædibus ordinem, facque totum ædi-
 ficium in angulos temerè porrectum, ſine facie
 atque proſpectu, hinc introrſus reductum, il-
 linc in latus deſlexum, undique erraticis man- **B**
 dris interruptum, atque diſiunctum. Fac uno
 pariete tumuli eminentis ſupercilio hæere? **C**
 altero depreſſo in voraginem jacere. Fac nul-
 lum, quo adeatur, oſtium extrinſecus illi eſſe,
 ſed mobili tantùm per fenestram ſcalâ ingreſ-
 ſum patere. Fenestras prope ſolum demiſſas
 cogita; portas ſummis laquearibus conjun-
 ctas; ſtabula in veſtibulo collocata; cubicula **D**
 hu.

humi defossa; cellam vinariam in aulae medi-
E tullium elatam, aulam infra equile, ac bubile
 dejectam; omnia cubicula distorta, tenebrico-
F sa, gibba, angulosa, inæqualia, atque clivosa.
G Eritne rusticorum ullam mapale magis in-
 cultum? quæ casa magis agrestis, aut per-
 turbatior reperiatur? Tolle deinde ab exer-
 citu ordinem. Fac eum huc, atque illuc er-
 rabundum, fac dissolutum, atque disse-
 ctum; fac, quæ cuique libet, singulos dilaben-
 tes; fac nullos ab eis servari ordines, sed vago
 discursu in avia quæque ferti præcipites, quid
 magis incomptum, aut tumultuosius? ex tali
 enim militum confusione fiet subito latronum
 manus, quibus nihil furacius, nihilque infe-
 stius horti, vineæ, campi, viridaria, rusticorum
 tuguria, pagi, oppida, ac viæ experiuntur.
 Tolle præterea à saltatione ordinem. Fac eam
 nullis gaudere numeris, nullis inflexionum
 constare legibus, quid absurdius? Tolle quo-
 que à citharædo ordinem. Fac omnes fides ex
 æquo contentas; fac nullâ serie inter se com-
 missas; fac æqualiter densas, & crassas; fac di-
H gitorum omnium scalpruriginè uno ductu sin-
 gulas simul percilli, quid magis absonum?
 Tolle pariter à pulchritudine ordinem, atque
 hominis pedes appinge humeris; pedibus ca-
 put subicito; tibias ad collum erige; brachia
 appende auribus; manus supercilis annecte;
 omnia oris, ac formæ lineamenta perverte; quæ
 forma deformior? quod monstrum tætius,
 aut turpius? Tolle denique à Cælo, tolle à si-
 denibus, tolle ab elementis ordinem. Fac ær-
 rā

DELECTATIONIS ILLICE. 315

ram commutare sursum; Cælum ruere deorsum
 stellas in Mare defluere; Mare super astra eve-
 hi; quod chaos à Poëtis fictum magis incom-
 positum? quæ species horridior?

201. Quod si quid etiam sine ordine dele-
 ctat, si in pratis tanta florum varietas, casu, vel
 fortuito enata solo; hinc, atque illinc diffusa, **A**
 non distincta; fusa, non distributa; tam grato
 spectaculo cunctorum oculis blanditur; hæc
 omnia, quæ sine ordine suaviter tenent, in
 ordinem redacta multo uberius delectabunt.
 Illos enim ipsos flores per prata temerè spar-
 sos transfer, si placet, in aliquem hortum ad a- **B**
 mullum quadratum, peritumque hortulanum,
 qui eos scitè distinguat, adhibe. Tum is qua-
 tuor ad angulos quatuor areolas, extrinsecus **C**
 quidem rectis lateribus, intrinsecus verò cu- **D**
 spidatas, aut inspiram convolutas descri- **E**
 bet. In medio ingentem stellam radios qua- **F**
 quaversum fundentem depangit. Areolas im- **G**
 missis tessellis discriminat; tessellas pulvi **H**
 nis, & toris munit, tenuiores undique sulcos **I**
 ducit, tum strias, lirasque minores interponit.
 At quatuor latera in cruce[m] interfecat, ipsas
 areolas biviiis, triviiis, quadriviiis decussat.
 Postremò latè spatiantem semitam, & per **K**
 quatuor latera pertinentem, quasi pomerium
 relinquit. Porò ubi hortum ita extruxit, flo-
 re, rursam in areolas, in tessellas, in pulvi-
 nos, in toros, in stellam distribuit; viarum cre-
 pidines rosario, ceu spinoso propugnaculo
 obvallat: delectum singulorum etiam florum
 habet; notat, qui humiliores, qui medii, qui
 pror

Lrocèri. Neque colorum negligit varietatem
 caruleas violas, nigra vaccinia, alba ligustra
 suos in manipulos centuriat. In stellæ umbi-
Mlico Solis æmulum heliotropium figit, in stel-
 læ radios hastata lilia diducit. Deinceps ane-
Nmones, hyacinthos, amaranthos, narcissos, &
 reliquorum omnium florum aciem specio-
Osissimam, tanquam Floræ pictum exercitum
 serie eximâ componit. At in semitis omnem
 eradit herbulam, in sulcis, in striis, in bivis,
P nullam terræ lanuginem patitur, nulla fert
Qstamina, nulla cymata tolerat. Universum so-
Rlum per omnes versus areolis interjectum, ut
Semper purum putumque sit, perenni labore
Tdeglubit, glabrat, decorticat? Contende jam,
 si vis, hos flores tam bellè ordinatos cum illis
 antea in pratorum acie sine ullâ lege à terra
 profusis. Utri magis capient oculos? utri ju-
 cundius delectabunt? Sine dubio in ordinem
 adducti, quam errabundi. Quid si forrè aliquis
 in sulcis illis flosculus, in semitis, aut in
 mæandris extra reliquorum seriem florum e-
 nascatur? olitor sine ne crescere? Imò verò
 statim radicitus extrahet. At bellulus flos
 est, narcissus est, amaranthus est. Nihil re-
 fert. Extirpatur. Cur, quæso? Nimirum
V quicquid extra ordinem jacet, hortulanus ait,
 sive flos sit, sive herbula, ordinem turbat,
 gratiam deflorat, oblectamentum misuit, &
 deoque properè evellendum, ac sine mora eradi-
 dicandum.

202. Eodem prorsus modo pleraque etiam
 alia, quæ sine ordine aliquâ oblectatione titil-
 lant

ant, in ordinem digesta, largiorem addere voluptatem, testatum est. Incompositas in silvâ arbores, rarasque in montium jugis plantas, magnis intervallis, sed incertis distantes, paulò curiosius, quæso vos, Auditores, considerate. Sint vestitæ foliis, odoræ floribus, optimæ fructibus, placeant, arideant, exhilarent. Illas deinde in aliquod viridarium traducito. Ibi longos in ordines porrigit; in quin- **A** cuncem conferito; in stellas transcribito; binas binis, ternasque ternis committito; in varia spatia, atque intervalla dividito. At parietes cedrorum viridantibus, ut ita dicam, peristromatis convestito; ramos per murum **B** repentes artificiosè intextito; mediis in spatiis ex iis, quæ intercurrunt, arbusculis genus omne animantium, quasi hortorum quidam sator, ex buxo, è myrto, lauroque procreato, hinc leones, hincursos, hinc tigres, hinc elephantos nullo alio terriculamento, quam frondium, metuendos, exprimito. Adjice etiam **C** armatorum hominum ex corno cohortem, quasi excubias agentem pro horto, ipsoque in vestibulo minitantem. Nunc verò pedem mihi inferat aliquis de integro in hujusmodi viridarium. Si has ipsas, aut consimiles arbores, atque virgulta confusâ in silvâ non sine juncunditate antea spectâisset: ubi primum eadem ipsa tam nobili conformata ordine, tamque variis propè animata figuris, postea suis met oculis subjecerit, quàm insolitâ, multoque, quàm antea, cum latiore voluptate liquecet. Quod si qua virgulta, vel furculi supra parietum cre-

pidinem emineant; si extra coronam verticis
D singularum planarum progerminent; si ani-
 mantum rictus, speciesque deprimant; adest
 statim cum falculâ olitor, omnesque illos aut
E stolones, aut coliculos, aut encinno sive verè
 castiga, secat, recidit. At omnes illi ramu-
 culi innumeris foeti erant fructibus. Nihil mo-
 ror, inquit hortulanus, hîc mihi decor, & venu-
 stas curæ est (quanquam arbusculæ etiam sic
 castigatæ uberiores fructus ferent) quicquid
 extra ordinem surgit, ordinem disijcit, venusta-
 ti officit, concinnitati detrahit; ac proinde aver-
F runcetur.

*Adversariorum Orationes, atque Con-
 ciones, quia inordinata sunt, mi-
 nimè delectant.*

203. **O** Stendi hætenus, Auditores, satis
 perspicuè, quàm pellax, mirusque
 voluptatis genitor sit ordo, quantaque hunc
 inter, atque illam affinitas intercedat. Nunc i-
 dem ordo postulat, ut ab Adversariis meis quæ-
 ram, quem ipsi ordinem, suis in Orationibus,
 vel Concionibus teneant. Sed quorsum? Illine
 ordinis ullam orbitam queant insistere? Illi-
 ne, qui immodicam delectationem tam per-
 ditè amant, possunt, quid ordo sit, suspicari?
 Quasi verò modus sine ordine esse valeat,
 quasi modus certos quosdam fines, & termi-
 nos cuique rei non præscribat: quasi ratas ad
 leges, atque mensuram singula non exigat.
 Quod si modus id, cui accidit, terminis inclu-
 dit,

dit, si finibus circumscribit, si legibus temperat, si mensurâ partitur, potestne h ordine esse discretus? Quum igitur immodici isti ornamentorum factores omnem delectationis modum, ut immoderatam ubique ferant, aspernentur; an non etiam omni ordini eadem opera nuntium remittunt? Deinde, nonne paulò ante mea ex disceptatione didicerunt, suas Orationes, atque Conciones fastidii esse plenissimas? At quid magis ordinem pervertit, quàm fastidium? Fallor. Fastidium everfi potius ordinis individua est appendix, quàm everfor; & turbati exploratum magis argumentum, quàm turbator. Tu verò tam acutè **A** declamando quanta impleas aures satietate? Tenes igitur manu, & nescis, ipsissimum vitiati ordinis chirographum. Quod enim fastidio est, nempe supra modum, ac vires illius, cui creat fastidium, est. Dapes fastidis, nempe quia palato tuo, vel saturitati non congruunt. Quæ autem non congruunt, possuntne cum ordine, qui continua quædam convenientia est, ullo modo convenire? Vide igitur, vide implacabiles fastidii cum ordine similitates. Intellige aliquando, quum in dicendo tam effræni sensiculorum intemperantia tantum satietatis apportes, buccina quasi te signum edere, omnes à te ordinis leges sine ullo respectu fuisse temeratas. Sed quid ego de fastidio loquor? quid in re apertissima longiore sermocinatione opus est? An qui se extraordinarios Oratores, Concionatoresque censeri ambiunt, aliquid ordinis ordiri, aut

B invenire queant ? Itane ordinem isti audeant nihilominus contestari ? O capita obliviosa ! Itane citò è memoriâ excidit, quum de ingenio vestro verba facerem, luculenter à me tum demonstratum, eo vos idcirco frigere, atque languescere, quòd omnem ordinem scèdissimè affligatis ? Quæ potest ergo de ordine illis, aut jurgium amplius remanere ? Quum enim absque controversiâ, nullum ordinis specimen à vobis dari, planum sit: cui potest anceps esse, neque ullam à vobis delectationem, ordinis nempe filiam, gigni posse ?

A 204. Verùm minutæ hæ interrogatiuncule acutiores, puto, sunt, sapientissimi Patres, quàm ut ab Adversariis meis non ingeniosissimis percipi queant. Metiar igitur disceptationem meam ad istorum angusti oris captum,

B missis que illis quasi punctis epicheremate substrictis, stylum latius, ac liberalius fundam. Vos ipsos ego jam appello, perblandi Declamatores ; vos, inquam, mihi, qui pro vestro more, quæ semel pro exploratis concessistis. Punicâ fide iterum antiquitatis, ex fuga retracti, jam pœnas dissipati ordinis persolvite. Nam quum Orationis, Concionisve ædem in descriptionum latera sinuatis ; quum sine claræ quæstionis prospectu eam confestim interiorum in cæcum arcana doctrinæ antrum reducitis ; quum subitò in angulum abjectæ prorsus digressionis declinatis, quum in edito arrogantia tumulo, altoque supercilio, hinc partitionis unum parietem statuitis, illinc alterum in inscientiæ voraginem deprimitis,

mitis, quum nullum perspicuitatis ostium,
 quo eius cognitio adeatur, relinquitis;
 quum nullas explicatae dictionis fenestras pa-
 refacitis, quum obscuritatis tenebras ubique
 offunditis; quum vestra illa acuminum adyta,
 atque mysteria nulli Auditorum, nisi longissi-
 ma commentationis gestatoria scala, cochlea **C**
 ve admota, penetranda, tam alte suspenditis;
 quum rerum, quae affectus possent suppedita- **D**
 re, apothecam, seu cellam vinariam sub initium
 illico panditis; in exitu vero perorationis a **E**
 quam iufacetae fabellae propinatis; quum sta- **F**
 bula rejectaneorum argumentorum in fronte:
 aulam autem validae amplificationis extermi-
 natis; quum rationis denique cubicula, distor- **H**
 ta, exilia, rimosa, gibba, ac ruinosa concamera-
 tis; vosne de serie aliquid cogitatis? vos de or-
 dine curam ullam suscipitis?

205. Sed nunc vertite vestram Orationem,
 in exercitum. Quando entymematum milites
 palantes huc, atque illuc agitis? quando omnis
 disciplinae lege solvitis? quando nullos servare
 ordines, imo pervertere iubetis; quando in-
 praerupta, atque a causa omnino avia praeci-
 pitatis; quando latronum more iam Poetarum **A**
 vineas populamini? iam Sophistarum vitidaria **B**
 ditipitis; iam viarum divortia obsidentes, tran-
 seuntium Comcedorum peras, manticasque
 salibus fartas executitis; iam Circulatorum di- **C**
 steria expilatis; iam Juvenalis scommata depe-
 culamini; iam Plauti jocos exenteratis; iam
 Martialis argutias invaditis; iam omnium len-
 ticulorum penum exhaustitis; demum quando
 O 5 offi-

officinas omnes, atque tabernas venalium ornamentorum, ut tandem persuasioni solitudinem, vastitatemque importetis, per vim totas ferme asportatis, ut nulla penitus muscariaistarum sententio larum, atque nugarum ludicro ab ingenio fabricata apud ullum nugonem, vel Comœdum, satis clausa sint, quin à vobis repente vel unco extrahantur, vosne ordinis ulla lineamenta ducetis?

206. Quod si eadem Oratio in citharam commutetur; tu sanè non argumentorum fides, quæ fidem maximè faciunt, sed similitudinum chordas dumtaxat, quæ rē explicant tantum, extendis, tu pari omnes sono ita illas temperas, ut tam à primâ, quàm ab ultimâ, exordiri fas sit; nec miùs robusta media, quàm alia quæcunque audiatur; tu sursum, deorsumque non digitorum articulos minutatim inflectis, sed integram manum inscitè carpentem, scalpentemque inciras, & deducis. Sed quæ tandem hoc pacto ordinis tu ullâ sollicitudine simul tangaris.

207. Transforma nunc Orationem in humanum corpus. Exordii caput epilogi pedibus subjicis; argumentorum nervos è corpore evelis, acuminumque cincinnos substituis, tibias affectuum in humeros partitionis trajicis; brachia confirmationis collo narrationis præfigis; quæstionis frontem sub præteritionis axillam abscondis; & tunc cum ordine vel minimum unguem consentias? Sed ecce, velut orbis quidam tua prodit Oratio Schematum sidera in senficulorum mare demergis; exundantium vene-

venerum aquas supra caussæ cælum effers;
cælestes inductionum orbis infra argutiarum
arenam deprimis; quæstioais solum inanissimi
styli vento inflas, insanoque terræ motu labe-
factas, ut ordo ullus apud te sedem reperiat?

208. Sint autem planè acumina, sententiæ,
atque argutiæ flores quidam, & lætæ velut ar-
busculæ in Orationis viridario consistæ ab in-
genio. Atqui vos ea nunquam intra lineã mo-
derationis continetis; non ullâ iudicii falculâ
castigatis, non in rationum areolas, non in
morum tessellas, non in affectionum toros di-
stinguitis; sed ubique spargitis, ubique disse-
minatis, ubique profunditis. At enim horti O-
ratorii prima, si vigilatis, lex est, ut tot acumi-
num flores, tot sensiculorum herbulae, tot vo-
luptatis capreoli, tot oblectationis conciliaeri-
culæ tolerantur, quot ordo, caussæ, & persua-
sionis finis patitur; ac jubet, ut nimirum ampli-
ficationum interjectæ semitæ, bivia, trivique
ab omni affectationis gramine pura, ab omni
luxuriantis ingenii surculo libera; & nuda sint.
Vos autem jurati hostes moderationis, acumi-
nū foeniculo nō solum areolas totas, sed toros **A**
etiam sulcos, liras totas, totas semitas, bivia, &
trivia universa consternitis: nunquam falcē ad-
hibetis, nihil unquā reciditis; sed de huiusmo-
di pigmentorum, & flosculorū horto pratū &
silvā facitis. Ubi igitur ordinis vobis ulla reli-
gio? scilicet, at si ordo omnis à vobis corruptus
ubi dec? ubi venustas? ubi oblectatio? Nusquā.

209. Quare, quum Adversariorum declama-
tiones nullo ferè ordine splendeant, quid eis

potest esse perversius? qui errores labyrinthi
magis inextricabiles? Quod si illæ & ingenio
vacuæ, & fastidio refertæ, & ordine destitutæ
A sunt, quid reliquum eis concinnitatis esse que-
at? quam delectationis speciem adumbrare, aut
mentiri possint? Ita in auras prorsus, ac fumum
immodicæ spectum voluptatis, ab iisdem Ad-
versariis compositum, perridiculè evanescit.

*Quæ utilia, atque honesta sunt, afferunt
oblectamentum.*

A 210. **D**E ingenio, quo egent Adversarii; de
fastidio, quod creant; de ordine, quo
carent, quæ tria oblectationi ferendæ maximè
incommodant, ad id locorum jam satis. At
quid præterea est, quod demulcere Auditorem
possit Venio demum ad longè uberiores ob-
lectationis fontem, utilitatem nempe, atque
honestatem. Sic enim latentis naturæ manibus
omnes informati sumus, ut quæcunque hone-
sta, juxtaque commoda, nobis sunt, ingenti
nos jucunditate omnino cumulent. Scio ple-
ræque esse utilia, atque honesta, quæ nulla ta-
men, aut per exiguâ afficiunt voluptate. Medi-
cata quippe portione graviter laboranti, ad va-
letudinem recuperandam, quid salubrius, vel
honestius? Sed quàm sæpè nihil insuavius, atq;
amarius? Contra verò multa, quæ maximè de-
lectant, nullum habent cum honestate, utilita-
teque commercium. Nam pecudum volupta-
tibus ad homines summo cum probro tradu-
ctis quid scædus, aut nocentius excogitari po-
test? Res compertissima. Pergo, At quæcumq;
honest-

honestate verè decorantur, quo magis cum utilitate, molestiæ, & laboris experie sociantur, eo pleniore mellis alveo præcordia distendunt, Lætæ, gravesque spicæ ipsâ maturitate mello- **B**
 riam falcem jam invitantes, quàm amœno **C**
 spectaculo coloni oculis lenocinantur? extra- **D**
 ctum è stagno verriculum prægrandibus onu- **E**
 sum piscibus, quantâ lætitiâ effert piscatorem? **F**
 Multa voluerum præda, multa quadrupedum, vel lecta è cassibus, vel arcu, aut decipulis co- **G**
 sta, quam affluente hilaritate lassum recreat ve- **H**
 natorem? Opima munera liberali à Rege in
 populum congiarii nomine sparsa, quàm leni
 suavitatis illicio animos omnium devinciunt? **H**
 Veris rediviva fecunditas è telluris gremio
 explicatis redimita floribus, fructuum uberta-
 tem haud ex vano portendentibus, quàm in-
 credibili gaudio perfundit mortales? Suspice
 Cælum, & tacito cursu meantia sidera, tum So-
 lis, Lunæque conversiones, ad occultos, mi-
 rosque afflatus subjectis incolis dispertendos
 cotidie instauratas contemplare, & desubito
 suavi delibutus voluptate exultabis. Hæc ipsa
 lux, quâ nihil est amabilius, licet tam frequen-
 ter cernatur, quam novâ tamen delectatione,
 ubi, expugnatâ vel cæcâ nocte, vel densâ, ob-
 scuraque nube, victrix improvisò emicat, ocu-
 los reficit? At undè omnes istæ voluptates ma-
 nant? quo ex fonte hauriuntur? ex honestâ sci-
 licet utilitate, vicissimque ex utili honestate.
 Quàm enim honesta, & sine molestiâ post obi-
 tos labores utilis agricolæ messis in horreum
 illata; piscatori capti ex amne pisces; venatori
 abdu-

- I** abducta de luco quadrupedum præda; munera
 egeno tributa populo; lux cunctis affusa mor-
 talibus? Quantum igitur honestatis, vel utili-
 tatis quacunq̃ de re detraxeris, tantundem
- K** quoque honestæ oblectationis necessariò sub-
 duxeris, Comminiscere enim dapes omnis ge-
 neris aliqua in tabellâ bellissimè depictas, aut
 regium convivium, epulumve coloribus quàm
- L** graphicè expressum. Num picta huiusmodi ef-
 culenta extremâ fame languentem refocilla-
 bunt? Minimè, nam ficta, & delineata obsonia
 quanquam cubiculum honestè exornant, ocu-
 losque oblectant, explendæ tamen fami nihil
 planè conducunt; ac proindè neque esurientem
 ventrem ullâ possunt cibi dulcedine mitigare.
 Si spectet agricola vineam innumeris luxurian-
 tem pampinis, undique folia dumtaxat, atque
 capreolos fundentem; at racemis, atque uvis
 penitus orbatam; quam, obsecro, ex talis aspe-
 ctu vitis animo percipiet voluptatem? Imò in-
 gentem potius dolorem, quòd suos labores om-
 nes, tot ac tantos, steriles in coliculos abiisse
 animadvertit. Exploratum igitur est, si de ho-
 nestâ delectatione sermo sit (quum inhonestâ
 neque ad Oratorem, neque ad Concionatorem
 ut discriè cavi, pertinere queat) quo quid-
 que minus honestum est, aut utile,
 tanto minus etiam honestæ
 voluptatis profeminare.

Adversarii non delectant, quia neque honesta, neque utilia dicendo proferunt.

211. **V**erum antequam, Auditores, de turpi utilitatis, atque honestatis corruptelâ Adversariis meis perfamiliari quicquam dicâ, cogor à vobis importunæ fortasse molestiæ veniam deprecari. Nam dum eadem vulnera sæpius vel invitus retracto, jure etiam atque etiâ vereor, ne mea vobis oratio stomachum pariter moveat. At viri prudentissimi, debetis mihi hoc quaecunque piaculum facile condonare. Quum enim Adversarii uno in crimine non uno crimine contenti, plura simul conglobent, haud possum ego omnia uno conflictu mactare, sed pugnam veluti necessariò dividens, multiplicis adeo monstri, tanquam hydræ nunc **A** unum caput tæterrimum demeto, nunc aliud **B** atque aliud pedetentim conficio. Exposui sanè jam pridem, quum Oratorios mores ab istorum Orationibus exulare docui, quam essent iidem inepti illorum architecti: nunc, ut vincam, nihil honestatis, vel utilitatis iisdem inesse, ac proinde neque ullam etiam oblectationis speciem hinc fluere; non possum hîc ejusdem piaci hoc aliud veluti caput Declamatoribus tam enervatis non exprobrare. Et de honestate quidem fucatarum Orationum quid attinet multis differere? quem fugit, quam sint officio tam gravi Oratoris ipsæ discordes? Cui obscurum est, quam turpiter neque per-

personæ, neque causæ, neque loco, neque tempori conveniant?

212. De utilitate verò funditus eversa quid addam, aut potius querar? Quid enim frugis bonæ isti in Auditores conferant, qui graviorum rerum neglectis argumentis, jam in hilares, mollesque veris descriptiones pueriliter excurrunt; modò auro nitentem auroræ currum Poëtice depingunt; sæpè Imperatorum centurias intempestivè recensent; identidem infinitum eruditionis penum imprudenter exhauriunt? Nempe plurimum Auditorum interest inanis tuæ ostentatiō memoriæ, de suis utique actum fortunis omnibus singulis, nisi tuam istam ambitionem sub purpurea acuminum, ut sic appellem, umbellâ superbè incedentem conspexerint, existimabunt. In magnum hominum cedit emolumentum summa illa tua in perpoliendis verbis, nulla in excolendis animis sollicitudo. Profligabitur, **B**credo, Reipublicæ pax, & impexum sensiculorum, argutiarumque populum prætermiseris. Quod totus sis in antithetis conquirendis, urbis forsitan reditus augebuntur? quod sales piperatos tam insulsè inculces, patriæ fines ampliabuntur? quod per metaphoras, atque allegorias larvato veluti sermone ignotus, **C**frè peregrineris, annonæ caritatem tenuioris **D**ensus homines non experientur? quod iocis, **E**leporibus, scommatisque crebro inveneris, tot scelerum monstra à gravissimis animorum vulneribus, ab irâ, ab odio; ab invidentiâ, ab ebrietate, à rapinis, à latrocinis, à sacrilegiis,

legiis, à superbiâ, à lasciviâ, à crudelitate, ab
 injustitiâ convalescent? & istane in Auditorum
 commodum redundabunt? hæc multis homi-
 nes beneficiis demerebuntur? Se ipsum pal-
 pare blandissimè, sui causâ nominis omnia,
 aliorum nihil, nisi præcipuè suam in rem
 cedat, moliri, alienas plagas, ut vel uno
 acum ne favorabilem levissimæ auræ susur-
 rum lucreis, negligere; eò in dicendo semper
 tendere, ut tui maxumè ingenii (etsi tardissimi) **F**
 venditandi monopolium tarpissimum insti-
 tuas; tam callidè singula componere, ut om-
 nia divina, atque humana propriæ existimatio-
 nis quæstui flagitiosè posthabeas; utilitatis ul-
 lam speciem apud eruditos, atque prudentes;
 quin etiam apud vulgares, infimosque Audi-
 tores habebunt? Illine sua multum referre opi-
 nabuntur, quòd te hominem in Jesu Christi **G**
 scholâ haud satis exercitatum ex ipso cerussa-
 to dicendi genere faciliè animadvertunt? quòd
 tui perditum mancipium, aulicis plenum of- **H**
 fucis, caritatis obryzo vacuum, tibi pluri-
 mum indulgentem, in alios severum, gloriolæ
 vento tumidum, hominum forensibus dedi-
 tum colloquus, sacræ commentationis rudem,
 humanæ literaturæ supra modum fidentem, **I**
 spiritus cælestis patrimonio abdicatum, à
 pietate exheredatum ex assè, palàm agnoscunt?
 quòd te versipellis fucò simulationis minia- **K**
 tum, perpetua animi, atque oris; linguæ, ope- **L**
 rumque diffidia alentem; personam pro lû- **M**
 bentia catè induentem, atque exuentem, haud
 incertis vestigiis deprehendunt? Et quam tan-
 dem.

utilitatem tuam hæc Orationum, Concionum
 que adulterandarum norma corruptissima ap-
 portabit? quam, cedò, quam? unde ortam? que
 ex fonte derivatam? quibus hominibus, qui-
 bus? ubi? quo nomine? quando? quâ occasione?
 Quæso te, per tuam humanitatem aut fabula-
 ri desine, aut fabulas minus fabulosas narra-
 to. Sed quid ego utilitatem commemoro?
 Hæccine ludificatio nugaroria quicquam pa-
 riet utilitatis? utilitatem, dicitis, utilitatem? o
 utilitatem! Imo verò quid non ruina, & vasti-
 tatis per has ipsas acuminum præstigias, cate-
 runque ornatus luxum, foras & templa, po-
 pulos, atque urbes invadit? Discedunt igitur
 ab honestate, atque ab utilitate Adversariorum
 Orationes, atque Conciones, atque adò unde
 honestam gignant oblectationem, invenire
 non possunt.

213. Frustra igitur artifices isti, præroga-
 tivam voluptatis afflandæ sibi asserunt; fru-
 stra præsentant, frustra jactant. Quippe quum
 ingenio ne mediocri quidem, ut ostendis,
 præsentent, quum tædium creent intolerabile,
 quum omnem perturbent ordinem, quum ho-
 nestæ utilitatis nihil serant; exponant, quæ-
 so, quam veram possint, quam puram, ex-
 costamque jucunditatem afferre? Esto enim
 illæ superfluatorum illecebræ ornamentorum
 aures utcunque titillent: at intimos sensus non
 permeant: voluptate qualicumque detineant: at
 commentitiæ tantum oblectationis larvâ de-
 cipiunt, neque unquam liquida suavitatis gut-
 tam ullam ipsa in præcordia queunt demittere.

Grav.

Grandinosa procella magno ventorum strepitu de Caelo exonerata terram quidem alluvione sepelir; at solum ipsum aridum, Solisque perustum radiis non mollit, non subigit, non penetrat; plantarum sterilitatem non fecundat, sed teneros perdit surculos, lætas flagellat segetes, fata, atque arbores vastat. Foris tantum per declivia decurrit, at faccum, atque alimentum radicibus nullum defert. Haud secus acuminum tam densus imber, tamque spissa argutiarum, ac reliquorum ornamentorum grando, cordatorum Auditorum aures pereclit quidem, sed non pervadit; delectatione non capit, sed cædit; non lenit, sed læterat; non implet, sed onerat. Vel certè, etsi fortè imperitorum adolescentium levitati aridet, hominumque non doctissimorum plausu excipitur, nullo tamen modo in animum descendit, Auditoremque non afficit, nec demulcet, ac propterea neque veram oblectationem, sed adumbratam; non legitimam, sed adulterinam; non honestam, sed meretriciam concinnat.

214. Quare, si quando in hujus Actionis decursu hætenus aliquam delectationis speciem Adversariis meis, quam tanto consectantur studio, visus sum sine controversiâ indulgere, hanc dumtaxat iniquatissimæ imaginem, fucumque concessi. Illis nimirum nescio quos rumusculos, insanæque plausus plebeculæ non putavi ego invidendos; tum quia ea oblectatio, utpote immodica, oblectatio vera non est, sed oblectationis solum umbra; tum
ut

ut interim haberent aliquid, quo suas vitioſe eloquentiæ, quam criminabar, ærumas conſolarentur; tum demum ut omnem honeſte voluptatis excitandæ laudem, omnemque gloriæ, atque plauſus proventum non inane, ſed meritis debitum; valdeque frugiferum acriori deinde ſenſu, morſuque doloris ab illidem, quod tam præſtiti, per vim etiam repetere, ac revellerem.

B 215. Hæc ſunt, Auditores ornatiffimi, ſplendentis veritatis ab iſtis immodicæ delectationis patronis, ſimulque reſ exprimendæ tormenta, quæ ad eandem illam delectationem (beluam enim vero quavis terriſſimâ beluâ immaniorem, ac damnoſiorem) omnino exterminandam ineluctabilia exiſtimavi. Ratum igitur, fixumque ſit, delectationis Oratoriæ, vel Concionatoriæ nullum apud Declamatores iſtos extare veſtigium; ipſamque illam delectationem, quâ tantopere gloriantur, extuberrantem, atque exoracam, oblectationis nomen tueri non poſſe: tandemque diſcant Adverſarii mei, delectandi palmam, quam ſuam penitus eſſe conceptis verbis jarabant, ſibi que medullitus addixerant, de manibus ſibi nullo negotio demum fuiſſe extortam, atque ablatam.

*Oblectandi palma Tullianorum Oratorum,
atque Concionatorum propria.*

216. **S**ed hæc delectandi palma ab improbus, niſi Tullianis, hoc eſt, veriſ quum
Ora

Oratoribus, tum Concionatoribus adscribi potest? Quis enim ex universis eloquentiæ professoribus magis, quam isti, ingenio præcellit? quis fastidium omne mirâ rerum omnium, atque verborum temperatione longius arcet? quis ordinis decus omne, & venustatem pulchrius componit? quis summam utilitatem pari cum honestate constantius, aut uberiùs consociat? At de ingenio egregiorum tam Oratorum, quam Concionatorum præclarissimo, voluptatis illicè quàm blandissimo, non est hîc, cur verbum ullum insuper atexam, Auditores. Satis jam, satis longa illa, quam absolvi, dissertatio paulò ante explanata, quàm sint Ciceroniana ingenia perspicacia, quàm acria, quàm magna, atque sublimia, patefecit. Modum verò, moderationemque nemo jam est, qui nostris dicendi artificibus modestiam ubique tam sanctè præ se ferentibus, religiosius observet. Quis enim his prudentius omnem rem ovet satietatem? quis, ne Oratio decori leges migret, cavet attentius? quis, ne luminum crebritas luminibus ipsis illuminatæ dictionis officiat, sollertiùs considerat? quis voluptati certos, ne se se nimium effera, frænos opportuniùs injicit? quis redundantium sterculorum luxum severiùs castigat? quis acuminum piper ratiùs adspersit? quis sensiculorum crustula parciùs appoait? quis, qui sit Auditorum captus, quæ vis ingenii, quæ affectio animi, quæ vulnera, morbi que, quæ causæ natura, quanta gravitas, quanta necessitas,

tas,

tas, maturius expendit?

217. Delectationem verò jucundissimam, quam ordinis pulcherrimi gratiâ nostri ireni Oratores ubique serunt, quænam Oratio tam diserta, & copiosa eloqui possit? Quam multâ enim, lenissimâque voluptate pellentiunt, quum suas Conciones jam in exercitum quasi instructissimum distribuunt; jam instar palatii magnificentissimi exædificant; jam velut horologium temperatissimum describunt; jam ut spheram gravibus libratam momentis circumagunt; jam ut Cælum stellis, motibusque distinctum in orbem rapiunt, jam ut Mundum universitatis tantâ rerum varietate nunquam sibi dissentientem repræsentant; jam denique ut hominem, perexiguum videlicet, & contractiorem Mundum effingunt? Quam magnâ item amœnitate oculos, animumque pascunt, quum flores sensiculorum omnium in hortum queadam cogunt? quum venerum arbusculas in viridarium quoddam transferunt? quum in moderationis areolas universa ornamenta partiuntur? quum argumenta in quincuncem, A decussemque disponunt? quum ratiocinationum quinque veluti brachia in ramos confirmationis extendunt? quum enthymemata, mores, atque affectus in amplificationum viridantes quodammodo figuras, animataque simulacra conformant? quum hæc ipsa amplificationum simulacra tot elegantissimis frondibus ornant, totque argutiarum caprellis crispant, quot ad eorundem simulacrorum vul-

vultus exprimendos requiruntur; at si qua folia, aut coliculi luxu quodam ea figurarum lineamenta corrumpant, vel confundant statim amputant? quum nullum acuminum florem extra ordinis fines lascivientem ferunt? quum liberas ubique persuasioni semitas, nullam herbulam importunam sententiolam impeditas relinquunt? quum jocosorum papaveribus argumentorum sulcos, orationisque campum silvescere, turbari, aut eliminari nunquam patiuntur? quum istarum venerum nec plures flores, nec plures surculos, quam ordinis lex, finisque prescribat, tolerant? quum postremo omnem supervacaneam expolitionis stolonem forfice iudicii, piissimam quadam, & sapientissimam inclementiam recidunt?

218. Quod si oblectationem, quae honestis ex commodis, utilique honestate elicitur, iam oratione enucleare placeat; quoniam Tulliani Oratores & acuti ingenio, & rerum verborumque moderatione, & ordinis eximio nitore magnam, ut vidimus, afferunt voluptatem; longè maximam haud dubie, quum & longè maximam praeterea utilitatem honestate semper splendentem dicendo ubique disseminent, suos in Auditores, ut mox docebo, hinc derivabunt. Nam ea omnia, quae tum de persuadendi difficultate, tum de notarum Orationum instrumentis ad eam salubrosam provinciam in potestatem redigendam aptè fabricandis, prolixè satis iam in medium adduximus; arduam illic, operosamque utriusque muneris functionem ostendebant.

debant; hoc loco repetita earundem Oratorum utilitatem, atque honestatem incredibiliter exaggerant. Difficile sane est, sed æquè honestum, atque utile, animum quemcunque indignatione fieri mentem placidè tranquillare, illum invidiâ tabescentem alienæ felicitatis lætitiâ beare, istum à Bacchi popinis, Venerisque lustris ad temperantiæ septa, & castitatis gynæcea traducere, factiosos perditorum spiritus contundere, nefariosque conatus refranare. Hæc omnia præstant nostri Oratores. Durum profectò est, sed paricum utilitate, honestateque sociatum, nobilium virorum erga plebeios supercilium minimè superbum, plebem erga Dynastas modestam, atque obsequiosam; utrosque in patriam fideles præstare, singulosque suis in officiis dicendo continere. Continent nostri Oratores. Asperum sine dubio est, sed iuxta ætiam commodum, atque decorum, sapientibus consiliis, summoque nisu Reipublicæ calamitatibus graviter perorando opitulari. Opitulantur nostri Oratores. Quàm mirâ porro erga istos benevolentia afficiuntur populi, quum publicum bonum tanta cum dignitate ab eis quaeri, quum privati etiam cujuscunque honestissimam utilitatem iisdem ita cordi esse vident, ut ad hanc unam illi dicendo extantur, quum eos totis viribus in id solium incumbere, ut fructum quàm uberrimum afferant universis, atque hunc fructum, vel si cum aliqua de proprii tenuitate ingenii nota subeunda patiendus sit (quanquam nemo certè

ingeniosior videtur, quàm quum Auditorum gratiâ, lucroque ingeniosus minimè videri cupit) etiam si cum aliquo propriæ utilitatis dispendio procurandus sit, nihilo secius summâ ab illis contentione indagari animadvertunt. Dedunt quippe se planè Concionatori, dedunt se prorsus Auditores, quum eum sui questus studio nihil dicere, omnia cætorum causâ tribuere; de elegantia verò sermonis, dummodo populi ærumnis solatium ferat, non laborare; omnes suas literas, stylum, pectus, linguam, ac latera non vanis sui plausibus, sed communi animarum salutis fecerantur. Victos se penitus officii vociferantur universi, quum eum ab impotentis cupiditatum tyrannide liberum, veritatem sincerè expromere audiunt; quum hanc nullo metu ab illo suppressi, imò semper vehementius urgeri, ad publicam utilitatem semper animosius repeti, eam nullâ sui commodi umbrâ tenebrosam, sed candidam semper in medio prudentissimè collocari, omnes agnoscunt. Quot nominibus, quantisque tam frugifero viro se oblatos testantur, dum illum eò tantum ire, ducique ut cunctis profit, nullum contemnat, omnium levem miseras, neminem negligat, non infimos, non abjectos? non sordidatos; salutaria innumeris monita suggerat, vitia ab omnibus curet depellere; singulos virtuti studeat adungere, omnes beatè vitam transigere, omnes ab æternis retrahere suppliciis, omnes deniq; Cæli regno nunquam interituro ditare

338 P. III. DE UTILITATE HONESTA
vi summâ conetur. His itaque, & consimili-
bus commodis quid, rogo, honestius optari,
vel tam multiplici honestate quid utilius fingi
potest? Et poterit Auditori quicquam grati-
us, aut jucundius accidere, quàm, quum tam
utilia, atque honesta sibi à Concionatore pro-
poni, suaderique manifestò apprehendit?

*Oratores in quarvis Oratione honestam procre-
ant utilitatem, quia semper vel ad
virtutem impellunt, vel retra-
hant à vitio.*

219. **V**erùm quò meliùs ingentem hanc de-
lectationem, quæ ex honestate, atq;
utilitate Tullianarum Orationum Auditori
affinitur, intelligatis, sic, viri prudentissimi,
interpretor, sic decerno; neminem unquam
copiosius, aut suavius oblectari, quàm, quum
se ad vitij alicujus depulsionem, aut virtutis
consecutionem invitari, rapique sentit poti-
ùs, quàm cernit. Quid enim aliud, quæso, O-
rator est, quàm animorum quacunque pertur-
batione, vel aliâ ægritudine tabescentium ad-
mirabilis quidam moderator, ac præsentissi-
mus medicus? Nam quum Auditores, varijs
plerunque cupiditatibus, atque affectionibus
æstuantes, rationisquæ fræno soluti à virtute
delirant, atque ad vitium incitantur; è con-
trario Orator pro suo honestissimo, quos fun-
gitur, munere illos à vitio ad virtutem re-
mulco trahere, ac postliminio revocare pla-
B nè conatur. Quanquam enim Rhetoricæ ar-
tis

IN QUAVIS ORATIONE. 339

tis extremum finem Auditorum persuasio-
 nem cum omnibus dicendi magistris sapius
 jam pronuntiavi ; tamen perinde omnino
 est, vitij ablegationem, virtutisque compa-
 rationem spectare, atque Auditorum persua-
 sionem intueri. Quid namque Orator, nisi
 ab honestate velit discedere, persuadere po-
 test, nisi virtutem, aut virtuti saltem nihil ad-
 versum ; & dissuadere, nisi vitium, aut vi-
 tio affine, vel proximum ? Quum enim pro-
 bus Orator honestos mores, si talis cenferi
 vult, necesse habeat ostendere ; ab ipso, quod
 sustinet, officio, honestatis circumscriptus fi-
 nis, atque inclusus, non potest nempe Au-
 ditorem, nisi ad vitij execrationem, studium-
 que virtutis, inducere. Judiciali generi æ-
 quitas, atque iniquitas tanquam finis proposi-
 ta est. Rectè. Et poterit aliquis ad justitiam
 inflammare, vel ab iniustitiâ retrahere, quin
 virtutis amorem, vitij autem odium eadem
 operâ simul inserat ? Deliberativum etiara,
 quum utilitatem, & damnum præ oculis ha-
 beat, Orator, quod utilius, honestiusque est,
 suadere semper, vel invitus cogitur. Est
 quippe ea virtutis prerogativa singularis, ut
 umbras quascunque, fucumque suâ tandem
 luce perumpat, ac demum agnoscat, ap-
 probeturque ; ideoque si quid minus commodum,
 minusve honestum aliquis persuadere tentet,
 statim vel tanquam iniquus, ac turpis, qui
 turpia obtrudat ; vel tanquam imprudens, qui
 rei incommoda, damniq, appendices non cer-
 nat ; vel tanquam malevolus, qui de industria

Auditores in præceptis consilium agere molitur, irridebitur. De demonstrativo porro quid dicam, cuius finis quum sit honestas, & turpitudine; quid potest esse virtuti, aut vitio magis insitum, atque intimum? quomodo ad expulsiōem vitij, virtutisque exercitacionem omnia collineabit? Sanè quum apud Iudicem, vel Disceptatorem, vel Auscultatorem in causa judiciali, deliberativâ, vel demonstrativâ peroramus, huc omnes exerimus vires, ut rationum, morum, affectuumque veluti machinamentis, ac trochleis eos aliam sententiam transferamus. Sed quis Orator, quis Concionator, nisi planè impudens, ab honestâ sententiâ avellere, atque ad turpem, fœdamque trajicere nitatur? Nullus videlicet est, qui rectè, atque honestè dicat, quin pravas opiniones dudum jam hausas, animoque comprehensas homines doceat exuere, recentesque denuo longè honestiùs, ut ita dicam, induere.

220. Expecto hic, nescio quem, qui de Academico argumento à forensibus, sacrisque Templorum causis penitus remoto, ad demonstrativum tamen genus pertinente, sed de virtute, aut vitio nihil omnino sollicito turbas excitet. Quasi verò, inquiet, quædam theses, aut hypothèses meræ cognitionis non sint: quasi verò demonstrare nequeamus, liliū florum esse omnium regem, rosam verò reginam, elephantes quadrupedum solertissimos, malum Punicum, pomorum omnium tenere principatum: quæ tamen omnes, si-

miles-

milesque seu theses, seu hypotheses ab humanis moribus alienissimæ; quum nihilominus in comitijs Academicis commodissimè, & jucundissimè pertractentur, de virtute, aut vitio nihil omnino commemorant, de Auditoris animo sanando nullum faciunt verbum, sed puram putam hujusmodi questionum cognitionem adspargere contendunt; de actione autem nihil prorsus delibant.

221. O acutam profecto, atque tempestivam intercessionem, Academico ingenio omnino dignam! astuta enim verò, subdolaque exceptionem! Scilicet. Nihil hac tergiversatione inanius. Quæro enim, num Adversarij mei hujusmodi proposita Academica, quæ expoliunt, Orationes esse appellanda, (si quidem Concionum nomine ne ipsi quidem donari posse arbitrantur) eosque, qui talem adornant spartam, Oratores dicendos esse volunt? Patiamur tantisper eos illis nominibus gloriari. At mihi etiam vel reluctantes concedant, necesse est, ejusmodi qualescunque tandem Orationes, atque Oratores nostris, hoc est, Tullianis, civilibus, moratis, sacrisque, esse omni parte inferiores, tum miserâ disjunctione, latissimoque intervallo dissimiles. Nam ut nostræ Orationes, atque Oratores causas graves, feriasque magni momenti, magnæ utilitatis, magnarum expeditionum, illustres, præclaras, splendidas complectuntur; ita Academicis istis lucubrationibus, & Declamatoribus nihil sæpenu-
mero levius, ac inutilius esse potest. Sint enim

planè conferta ista senficulorum agmina, puerorum non omnino infructuosæ exercitationes (quanquam longè magis præstaret, ut ego quidem sentio, Adolescentes maturè gravibus, seriisque causis assuescere, ne, dum perpetuè versantur in umbra, aut potiùs in jocos, ad Solem deinde, verumque certamen producti, verè dicere tardiùs discant, aut, quod magis metuo, tandem nequeant) vèrum, sint tamen inquam, istæ Academicæ phaleræ ad rude dedolandum ingenium qualescunque palastræ; sint et formulas Latinè loquendi, atque ad phræs colligendas, corradendasque blanda quædam invitamenta. At istius farinae scriptiones, atque Scriptorum, si Ciceronianis cum Oratoribus componantur, an non pro levidensis, pro apinis, pro infantilibus crepundijs, pluviisque bullis necessario habeantur? Deinde, esto. Orationes id genus Academicæ Tullianas dignitate utrumque exæquent. At mihi non de Academicis hujusmodi Orationibus, sed de Tullianis dumtaxat, quæ profanis, quæ sacris, quibus nempe aliquid actuosum semper, quod persuadeant, propositum est, ut mox planius ostendam, totâ hac in actione sermonem esse jam sapius monui, iterumque jam moneo: ac proinde, licet Academicæ Orationes solâ cognitione rerum contentæ esse queant, nihil istæ Tullianis, de quibus tantum loquor, quæ cum actione semper conjunctæ sunt, incommodare possuat.

*De actionis quæstione in quavis Oratione,
Concioneque necessario adhi-
benda.*

221. **S**ed operæ pretium est, Auditores, à **A**
tramite, quem insiltebam, paulùm di- **B**
vertere, ac de actuosa quæstione cunctis in
Orationibus, atque Concionibus minùs no-
tâ, exploratâque necessitate copiosius philo-
sophari, quæ tamen omnia cum eo, quod ver-
fabam manibus, argumento bellè consentire
postea intelligetis.

222. Piget sanè me Orationum, atque Ora-
torum nomen huic novæ Rhetorices formæ,
hoc est, Academicæ, imò non formæ, sed
monstro; neque stoloni, sed tuberi vel tantil-
lum indulgisse. Non sunt enim, Auditores,
non sunt (clarè jam, animoseque denuntio)
tales exornationes ab usu, atque actione toto
Cælo distractæ, solique cognitioni famulan-
tes, Orationum nomine, aut illarum artifices
Orationum appellatione ullo modo donandi,
honestandique. Quis namque, quis, si ulti-
mam à primis seculis antiquitatem repeta-
mus, si omnis memoriæ revolvamus annales,
istiusmodi Academicæ eloquentiæ fœtus tan-
quam Orationes unquam agnovit, aut rece-
pit? quando Demosthenes, quando M. Tul-
lius, quando Isocrates, is ipse, qui non in
foro, sed in ludo tantummodo; non in curia,
sed in schola; non in Senatu, sed in recessu

Academico peroravit, quando ullus omnino Rhetor, aut Orator ex longissima illa, at penè innumerabili Oratorum serie, quos à primis eloquentia incunabulis toto libro de Claris Oratoribus idem M. Cicero recenset, quis, inquam, Oratorum paulò superioris ætatis, quis, aut quando aliquam, quam veram Orationem putaret, vel nominaret, scripsit, aut dixit, nisi ad actionis controversiam explicandam, dirimendamque rectà libratam? quando meræ cognitionis proposita Rhetorico dilatata apparatus in Orationum classem retulit, eorumque architectos Oratorum nomine insignivit? Nunquã planè, nunquam & meritò, sapienterque. Nam si ad Orationem coagmentandam satis est, in Auditoris intelligentiã ornate dicendo cognitionem cuiusmodi gignere; equidem illi, qui Geometriæ præcepta, qui Astrologiæ problemata, qui Philosophiæ quæstiones, qui omnium disciplinarum extra actionis fines jacentium, atque in iõia rei investigatione hærentium theses & pronuntiata Oratorio styliò enodarent, atque expolirent, si meorum iudicium Adversariorum attendimus, Oratores essent appellandi, illæque lucubrationes Orationes vocandæ. Erunt igitur etiam istorum suffragijs Conimbricensis Philosophiæ Auctores, aliique hinc gemini, quum rerum omnium quæstiones de Instrumentis Dialecticis, de quocunque Corpore Physico, de eisdem sexcentis adjunctis, de Cælo, de Elementis, de Anima scite, eleganterque disserunt, Oratores;

res; neque jam amplius Philosophi tantum,
verum etiam magistri simul, artificesque di-
cendi. O dormitantium ludibria! O sterren- **D**
tium ronchos! Quis namque hæc tam por- **E**
tentosa, nisi amens meditetur? Sed cur, quæso, **F**
cur ij, qui proposita solam rerum cognitionem
rimantia, et si splendido Rhetoricæ artis cha-
racterè perquam venustè pertractent, nihilo-
minus Oratores dici non possunt? Nimirum
quòd omnis ars Oratoria, tanquam pars Civi-
li subjecta facultati, huius finis, qui est perfecta
Civitatis, atque Reipublicæ constitutio, mo-
deratio, & conservatio, ancillari, Auditores
que ad hunc eundem finem usu, exercitatio-
neque virtutis consequendum permovere de-
bet: ac proinde qui extra hunc actuosæ vir-
tutis orbem peregrinantur, Oratoris nomen
usurpare jure non possunt.

223. Sed quid ego de Rhetoricæ extraneo,
ultimoque fine, civili videlicet felicitate,
disputo? Ipsa persuasio, nostri Oratoris pro-
prius finis, in quo, nisi in usu, actioneque
consistit? Neque enim in solâ rerum afferen-
dâ cognitione, tanquam fine, ut definiunt isti,
quò tamen reliquæ omnes disciplinae, quæ in
merâ veritatis inquisitione totæ sunt, rectâ
tendunt, occupari potest. Oratoriæ quippe
arti, cujus munera sunt docere, delectare, &
movere; quum primum munus docendi, ceu
instrumentum ultra porrigat, atque ad ipsam
persuasionem, tanquam ad finem expimen-
dâ destinet; qui idè esse queat docere, ac per-
suadere? Igitur persuasio, quæ ut finis specta-
tur.

tur ab Oratore, aliquid omnino habet, quod non habet doctrina, seu cognitio Auditori inserta, quæ instrumenti instar duntaxat eidem persuasioni extorquendæ inseruit. At quid hoc aliud est, aut esse potest, quàm actio, ad quam amplectendam Orator Auditoris voluntatem omni ope, ut sapientissimi quique viri decernunt, inflammare, ne dum ejus intelligentiam cognitione, doctrinaque illustrare, contendit? Hinc sollertissimus Rhetorum Aristoteles mores, atque affectus, velut generalia quædam, atque communia persuadendi instrumenta cuius causarum generi, ut dudum antea memoravi, adscripsit; ea propter sine dubio, quod nulla persuasio Oratoria fingi, nisi cum usu sociata, multoque minus reperiri possit. Quanquam enim rationes, atque argumenta in sola rei cognitione eruenda morentur; mores tamen, atque affectus cum actuosa controversia ita sunt copulati, ut si hanc tollas, & illos quoque ab omni prorsus causâ necessario excludas, Quos namque mores probitatis, vel benevolentie Declamator, ut doceat Solem magnitudine terræ antecellere, aut stellas contrarijs cieri motibus, aut Cometas supra Lunam accendi, necesse habeat effingere? Quos affectus amoris, odij, spei, iræ, timoris, audacæ, mansuetudinis, ut easdem illas theses probe, miscere queat? nullos prorsus. Non igitur solam cognitionem Orator, qui persuasionis fini sibi proposito semper velificatur, quærit, sed actionem præterea, atque exercitationem.

initio

*Initio Perorationis aliqua semper actionis
propositio in omni causa defigen-
da est*

224. **N**Equè actionem tantum utcumque
noster Orator indagat, atque secta-
tur; sed eam quoque perspicuâ comprehen-
sam propositione, in Peroratione saltem cu-
juscunque Orationis, atque Concionis statu-
it, atque inculcat. Prudentissimè omnino, at-
que aptissimè. Deme enim ab exornationibus
Perorationem actuosam: ubi erit illa persua-
sio, demonstrativo generi unà cum reliquis
communis planè finis, frustra que, ac temerè
Judiciali tantum, atque deliberativo addicta,
si tota Oratio in sola laudum demonstratio-
ne, quæ meram affert cognitionem, desudat;
nisi in Epilogo persuadeat? ubi, aut quâ in
parte ipsa persuasio, finis Oratoris, sedem ob-
tinebit? Affectus verò, persuasionis instrumen-
ta, quavis in causa universè necessaria, ubi,
rogo, triumphant, ubi regnant, nisi in Perora-
tione? In Orationis cursu sparguntur quidem
leviore brachio: at narrationi potius condu-
cunt, quàm certam ullam propositionem,
qualem in exitu fortiuntur, exaggerant. Quod
si Perorationem, tanquam essentiae partem ad
Orationem neges pertinere; non repugnabo
sanè pertinacius; at integræ Orationis pars
quædam illa sine dubio erit, eandem Oratio-
nem absolvens, atque perficiens; nec minùs,
quàm exordiū, figuræ, mores, aut affectus (sine
P 6 quibus

quibus tamen, si Aristotelem audimus, qualiscunque conformari potest Oratio) eidem annumeranda. Fac verò rursus abesse Perorationem; quo sine tunc, ac non potius ruinā claudetur, aut potius præcidetur Oratio? Imò non tam claudetur, quàm claudicabit, hominisque monstrum pede claudum, manibus truncum, oculis cæcum assimulabit. Certè non tam desinet, quàm præceps cadet, non tam consummabitur, quàm decurtabitur. Scilicet Auditor suo nutu, suoque Marte ex ipsa laudatione virtutis imitationem, vitiique execrationem, sine aliâ Oratoris cohortatione exprimer, aut colliget.

224. Sed esto. Colligat. at quanto languidius? quanto obscurius, lèntius, atque remissius, quàm si Perorationis machinā commoveretur? Denique si palmarium Oratorum exempla libet consulere: Demosthenis funebrem illam, claramque de Militibus pro defensione patriæ interfectis Laudationem? Ciceronis pro lege Manilia, & pro Sextio expositiones, ejusdem in Verrem Actiones, Gregorii Nazianzeni, viri & vitæ sanctimonii, & oris eloquentiâ florentissimi Panegyricos in Casaris fratris, in Gregoriî Patris, in Cypriani Martyris, in Divi Basilii, in Magni Athanasii, in fratrum Machabæorum, in Heronis Philosophi commendationem elaboratos; Joannis cognomento Chrysostomi, in dicendo maximè affluentis de S. Philogonio Antistite, de S. Babyla Martyre, de S. Joannis Baptista infandâ nece, de D. Pauli

virtu-

virtutibus luculenta præconia; Ademari Anienensis Pontificis, aut potius Pauli Æmilii, non tam illustris nostris seculis Historici, quam egregii etiam in dicendo Oratoris, funebrem de occisis sacro in bello militibus Concionem, Joannis Perpiniani nostro pariter avo Prædicatoris disertissimi de sancta D^e Elisabethæ, ac Ludovici Principis admirandis virtutibus, nec non de Deo Trino, & Uno eloquentissimas exornationes perlegite, pervolvite, perlustrate: & si quid in his omnibus, quod laudent, aut carpant, eminet: mentior, nisi in Peroratione, quæ de industriâ tanquam Orationis coronis subjicitur, illico vel ad alicujus virtutis imitationem, suadendam, vel ad aliquod impedimentum amolendum, vel ad cujuspiam vitii detractionem, aut denique ad aliquam certè actionem honestam eliciendam, ab iisdem Oratoribus cogitur, ac refertur. Quod si aliquâdo in demonstrativi generis Orationibus, ut idem Gregorius in sanctam Pentecostem, in Ægyptiorum Episcoporum appulsam, in alterâ de Paschate, alterâ de novâ Dominicâ, in Gorgoniæ sororis funere, Perorationem neglexisse videtur, tantum abest, ut his, quæ de actuosâ Peroratione supra paulò ante disputavi, quicquam officiat, aut fraudâ sit, ut eadem potius magis corroboret, atque stabiliat. Quid enim? Orationis essentiam sine Peroratione posse consistere dixi, absolute verò, perfectionemque non posse. Confer jam, si placet, Gregorii Laudationes

Efuis terminatas Epilogis cum ijs, in quibus Epilogum omisit, illasque tanto excellentiæ intervallo (quod idem de simili aliarum Laudationum varietate semel dictum sit) istis anteire, quanto homo integris omnibus membris venustè conformatus, homini pedibus, ac manibus amputatis mutilo pulchrior est, nullo negotio animadvertes.

*Quomodo Propositio cognitionis, vel actionis,
& qualis locum in Panegyricis
habere possit.*

226. **P**ossit me aliquis, Patres amplissimi, probabiliore in speciem nomine hoc loco interpellare, atque ex me pensulatè sciscitari, qui hoc de actuosa Peroratione decretum cum ijs, quæ sub hujus Actionis initium de persuasionem, proprio etiam Panegyrici sine enucleavimus, cohæreant. An non enim supra, si meministi, inquiet, eam persuasionem, quam ut finem in exornationibus quoque attendendam docebas, haud aliam esse, quàm stabilem de laudati viri maximam eminentiam opinionem, Auditorum animis operam, nisi que Oratoris inditam, non semel, nec leviter, ac sapius, atque ex destinato tradidisti? Quis porro nescit hanc ipsam stabilem opinionem in sola rei cognitione, sine ullo actionis commercio, sitam esse, atque intelligentiæ assensum, sine ullo voluntatis affectu, motuque, Oratoris eloquentiæ se dedere; qui invitum etiam sine ullo Epilogo
eidem

eidem cedere, & succumbere? Imò verò quis locus, aut quæ sedes in nonnullis demonstrativi generis Orationibus, in quibus præsertim religionis nostræ mysteria, & dogmata, quæ solam, meramque sapiunt cognitionem, enodantur, & confirmantur, actuosæ Perorationi esse, aut saltem affingi potest? Quid? quum præsentem aliquem, viventemque Principem virum laudas, quum illum subjectam sibi urbem primò invitentem festâ gratulatione, rerumque ab ipso præclare gestarum Panegyrico excipis: quem, rogo, in Epilogo concitabis? quem ad actionem urgebis? quò se Peroratio vertet, aut inflectet? quid aggredietur? quid tentabit? Demum ipse etiam Aristoteles, dum mirabundus, quænam sit in exornationibus Peroratio? interrogat; an non omnem Perorationem à Demonstrativo genere penitus ablegavit? Quo pacto igitur ad laudativæ Orationis absolutionem Epilogus pertinebit, qui cum eadem non potest nisi absurdè, atque præposterè copulari?

227. Verum nulla est, Auditores, neque in sententia, quam tueor, neque in verbis, quæ prompti, discrepantia, nulla dissensio; nec quæ semel non tantum dedi, sed etiam posui, ullo modo abigo, vel deleo. Nam sicut in ipsa Peroratione, quæ Auditoris animus expugnandus est, duas omnino partes, intelligentiam scilicet, & voluntatem secernere debemus; & illam quidem, tanquam instrumentum, vel necessariam conditionem præire oportet.

352 P. III. DE ACTUOSA PROPOS.
oportere, vel Philosophiæ tironibus comper-
tum est; ita in toto Orationis veluti corpore
duæ partes inter se distinctæ, quæstio nimirum,
seu principalis controversia, quam proximè
Confirmatio sequitur; atque actuosa, extre-
maque propositio, cui statim Peroratio subdi-
tur, ad illam ipsam persuasionem extenden-
dam librantur. Jam si quærat ex me, an ulla
meræ cognitionis quæstio ab Oratoriâ Con-
firmatione, vel Peroratione, quarum utraque,
suâ quæque propositione subnititur, admit-
tatur: expediam brevi responsum. Si enim
ejusmodi quæstio nullo modo, ne in Perora-
tionis quidem vestibulo ad actionem ab Ora-
tore referatur, sed nudam tantummodò rei
cognitionem respiciat; ajo discretè, ab omni
prorsus Oratione, etiam laudativâ, ut supra
disserebam, exulare. Omnis quippe Oratio,
quæ vera Oratio sit, morata, hoc est, ad ali-
quem honestum finem adornata sit, necesse
est. atqui meræ cognitionis quæstio quid
negotii habere potest cum moribus, quan-
tum ad finem dirigitur, sed sui tantum gra-
tiâ est? Quorsum etiam Aristoteles Mathe-
maticam Orationem, cui nempe sola cogni-
tionis indagatio proposita est, moratam esse
inficiatus est, nisi quia nullum intuetur finem,
nullam curat actionem? Sin autem quæstio,
etsi naturâ quidem suâ circa meram cogni-
tionem versatur, Oratoris tamen artificio,
ingenio, atque consilio ad aliquam actionem
torquetur quodammodo, atque inflectitur
(quo nomine quæstionem actionis, non quidem
simpliciter

simpliciter, sed ex adjuncto eam possumus appellare) hanc non solum minime ab Oratione arceo, sed in omni quoque Panegyrico Confirmationi necessarie pramittendam iudico. Nam si proponas summam D. Caroli in precibus constantiam te laudaturum: huiusmodi propositio, quamvis de actione praeterita sit, proximè tamen nulla de re, quæ agenda sit, verbum facit, atque hac de causâ cognitionis quaestio dici potest, maximè si cum Epilogi propositio, quæ suapte natura semper actiosa esse debet, comparetur. At si ab Oratore illa de Caroli constantiâ propositio ea propter edisseratur, ut deinde idem Orator hac tanquam machinâ in Peroratione ad similem in precibus, divinoque cultu constantiam retinendam Auditores impellat, iam aliquo modo actionem, à quâ videbatur remota, redolere incipit. Epilogi verò propria, & legitima propositio, Confirmationis quaestione, vel proposito actiosa eo magis, ut iam innui, esse debet; quæ illam præ istâ quaestionem cognitionis utcunque vocari, haud difficile concedimus. Illa quippe in Caroli ostendenda constantiâ solum occupata est; hæc ad constantiam actione parandam accendit; illa ex Oratoris tantum artificio ad actionem traducitur; hæc nutu etiam suo, & pondere in eandem fertur; illa clam dumtaxat, atque occultè ad usum inclinatur, hæc aperte, verbisque perspicuis illum ipsum profitetur.

228. Quod si paulo subtilius philosophari adhuc

adhuc lubeat; propositionem Confirmationi præfixam, tanquam instrumentum ad alteram illam Epilogi propositionem actuosam, Auditoribus persuadendam ab Oratore admo- veri dixerim. Atque ut me planius intelligatis, commodissimâ, ni fallor, imagine, atque exemplo omnium oculis id ipsum subijcio.

A Soleo ego propositionem Confirmationi præ-
B viam clavæ persimilem; propositionem vero
 Epilogo proludentem cuneo affinem nomi-
C nare. Ut enim cuneum in nodosum stipitem, quò findatur, disteraturque, sublata, inculcâ que clavâ adigimus: ita omnino, ubi Caroli summam in precibus constantiam initio propositam, tanquam gravissimam clavam, solida exaggerataque argumentorum confirma- tione fabricavi: pergo deinde, aliamque pro- positionem in limine Perorationis, tanquam validissimum cuneum ex acuo; exempli cau- sa, ut mortales omnes qui divinas preces, & cætera pietatis officia, ob nugas, & futilia hu- jus mundi negotia vel desidiosè obeunt, vel turpiter deserunt, tandem resipiscant, firmo- que nexu sempiterni Numinis obsequio se im- mancipent; atque hujusmodi cuneum in Au- ditoris animum ago, figoque: tum fabricata confirmationis clavam ad hunc ipsum impo- sitæ propositionis cuneum in pectus ejusdem Auditoris penitus immittendum multa vi ro- busta eâ in clava continentur, repetitis, & lum nunquam incutere desino, donec Audi- tatoris voluntas, etsi obtinata, & stipite quo

que durior, tandem persuasione frangatur, extor-
torque per vim assensu, omnino dissiliat.

229. Hic verò non me tenéo, Auditores,
quin oppottunè quorundam ex Adversarijs,
non dicam, Oratorum, sed rudium Decla-
matorum malè sanum consilium, excordemq;
imprudentiam irrideam. Audias enim non-
nullos interdum dicendi munere tam flagi-
tiosè abutentes, ut quum in Orationis, Con-
cionisve decursu, perpetuo quodam tractu le-
vissimis acuminibus, sententiolis, argutijs,
metaphoris, atque id genus alijs phaleratis
nugis non minùs intempestivè, quàm intem-
peranter indulserint; præcipitanter deinde,
atque absone clamorè subdant Peroratio-
nem. Quid hoc monstri est, quid portenti? Per-
inde sapiunt isti, ac si quis ad aliquem trun-
cum è quercu solidissimum, immisso ferreo
cuneo, findendum, clavà non ex ferro, sed ex
saccharo, cerà, vel gelu, aut vitro conflatà u-
teretur. Quis enim magis truncus, stipesve es-
set, isne, qui findendus, manu versatur; an,
qui ejusmodi clavà illum conatur findere? Si-
ne dubio qui molli clavà durissimam quæ-
cum findere nititur. Nam tantum abest, ut sin-
dat stipitem, ut ipsa potius clava primo sta-
tim ictu plura in frustra discedat. Pari quoque
ratione hi dicendi artifices, quum propositi-
onis confirmationem, tanquam clavam qui-
dem, sed ex acuminum cerà, ex argutiarum
saccharo, ex fensiculorum glacie, ex meta-
phorarum vitro levissimam priùs confecerint;
cuneum deinde quendam asperrimæ senten-
tiæ

356 P. III. DE ACTUOSA PROPOS.
tix, non tantum ex ferro, sed etiam ex cha-
lybe, quò Auditorum perrumpant animos
atque in lacrymas solvant, initio Peroratio-
nis summâ laterum contentione, magnoque
voci strepitu ponunt, ac tundunt. At dum
argumentis nugatoriis ex imbecillimæ Con-
firmationis clavâ ad primum impullum ex-
B templo friabili evocatis, iisque strenuè, & con-
globatim contortis, verbera ictusque condu-
plicant; quid agunt incauti, nisi ut irritò,
ridendoque labore, non animum ipsum à pro-
prio consilio divellant, sed suam ipsi Oratio-
nis clavam discerpant, frustillatimque com-
minuant?

230. Redeo jam ad institutum. Hec igitur
prima, princepsque in Oratione propositio,
illa est, quæ alteri propositioni actuosa in
Epilogo inculcandæ, ad Auditoris intelli-
gentiam potissimè nova imbuendam cog-
nitione subsevit; ipsa autem actuosa propo-
sitiō ad eisdem Auditoris voluntatem præci-
pue percellendam, commovendamque solli-
ter vibratur. Quare hæc Epilogi posterior
propositio in omni causarum genere ad ali-
quam semper actionem Auditores necessa-
riò invitat. Illa verò primariam Panegyri-
cis, sanè primo obtutu solâ cognitione termi-
nari videtur; sed Oratoris dexteritate ad a-
ctionem etiam bellè revocatur. Ergo quum
persuasio duplicem partem, intelligentiam
scilicet, & voluntatem complectatur: nihil
mirum, si stabilem de laudati viri excellentiâ
opinionem in Auscultatorum animos Ora-
toris

toris inductam artificio, sub hujus Actionis principium Laudationum finem esse affirmavi. Nam hæc ipsa nova opinio finis utique exornationum est, & quidem proximus, sed non postremus (de extraneo fine loquor, non de insito, quem non ipsam persuasionem externam, sed ipsum aptè ad persuadendum dicere, esse arbitror) finis simul, atque instrumentum, nec merus finis; finis totius Oratoriae facultatis, quæ in Confirmatione texenda spectatur; instrumentum autem finis, quem Peroratio aucupatur; pars integri finis, sed non finis penitus absolutus, atque perfectus. Ad perfectæ enim persuasionis integrum finem externum non tantummodo intelligentiæ cognitio, sed voluntatis etiam expugnatio requiritur. Porro de fine tantum proximo, eoque extraneo, manco, atque imperfecto libuit tunc meminisse, quòd hujus veritate perspecta, tanquam fundamento, ad ea, quæ in Orationis progressu ostendenda susceperam, duratè indigerem. Quippe, quum de fine ultimo, atque integro, hoc est, de persuasione alicujus actionis, ad quam genus judiciale, & deliberativum suâ naturâ tenderent, inter me, atque Adversarios facile congrueret: in Panegyrico verò quanquam aliòqui omne persuasionis nomen, atque vestigium iidem illi repudiarent; argumentis tamen à me revicti, Auditoris qualemcunque persuasionem Laudatori quoque, ceu finem, consequendam esse tandem assenserint; ad eos refellendos, atque ad vitiosissimum, quo delectantur, eloquentiæ

tia genus demonstrandum; etiamsi hæc qualiscumque persuasio, ab omni actione seposita fingeretur; satis omnino erat. Et sanè, quum Declamatores istos argumentis, moribus, atque affectibus, tribus nempe persuadendi instrumentis, non tam uti, quam abuti, docui; an non Orationes quoque eadem opera actuosæ persuasioni in Judicijs saltem, atque in Deliberationibus eliciendæ penitus ineptas ab iisdem conformari; ac proinde & inquinatum dicendi characterem venditari validissimè confirmavi? Ad laudationes verò quod attinet, quum eadem argumenta ornamentorum luxu ab illis ipsis tædè adeo accipi, enervariq; probavi, probavi etiam solidè eosdem in hoc cognitionis nudæ de viri laudati prærogativis in Auditore excitandæ munere, quâ tamen simplicem cognitionem, exornationum finem prædicabant, summopere allucinari. Nolui igitur in disceptationis hujus exordio Oratoris finem in Panegyrico actuosâ circumscribere persuasionem, quòd licèt eum sola cognitione contentum, ut volebant illi, non diffiterer: causam nihilominus, quantum ad persuadendi finem, ut supra præstiti, vincerem. Adde, quòd de propositione actionis in expolitionum Epilogis collocanda, seu de persuasionem actuosâ, tanquam sine in Laudationibus comparanda, magna mihi cum Adversarijs meis controversia erat; magna ab eis dissensio; quæ initio non nisi intempestivè fuisset profecto decisa, deinceps verò longè commodius, ac plenius eo, quo audistis, modo

eno-

enodanda, consulto reservabatur.

231. Venio jam ad nostræ Religionis dogmata, atque mysteria, quæ simplicissimæ cognitionis finibus malignè isti, avareque circumsepunt. Esto enim sola intelligentiæ cognitione suoapte nutu illa includantur, at **A** quam commodè, levique brachio ab Oratore, & Concionatore (ut iidem, quos appellavi, Gregorius Nazianzenus, vir humano penè major, & Joannes Perpinianus M. Tullij imitator nulli secundus, ut cæteros taceam, suo nos exemplo docuerunt) ad actionem flecti & possunt, & debent? Nam ineffabili Dei unius Trinique mysterio enucleato, quam proclive est Auditores ad eundem Deum adorandum, venerandum, prædicandum, amandumque (eademque norma sit, ac lex de alijs hujusmodi causis) incendere? Si verò Principem virum, si Imperatorem Augustum, si summum Pontificem viventem, coramque laudavero: absolutis præconijs, quam nullo negotio vel alios adstantes, ad ejus exempla virtutum sectanda; vel eundem, quem præsentem exorno, ad egregiorum incrementa facinorum majora deinceps edenda exhortabor? Quam accommodatè suadebo, ut divitijs, quibus circumfluit, ad liberalitatem; sapientia, qua antecellit, ad rectam Republicæ gubernationem; potentia, qua præstat, ad hostes à patria deinde arcendos strenuè utatur? Quid plura? Nunquam profectò, nunquam in ullo Panegyrico Epilogus desisse poterit, si illud Aristotelis monitum, atque

360 P.III. DE ACTUOSA PROPOS.
atque præceptum de Laudationum, Deliberationumque materiâ vicissim commutandâ attendamus. Si vis enim, inquit Philosophorum Homerus *a*, invenire, quod laudes; vide, quid suadeas. Si quæris, quod suadeas; vide, quid laudes; tum quæ suasionis sunt, ut si dicam: *secunda fortuna minimè fidendum est, sed iis, qua in nostrâ manu, atque consilio sunt*: si hac ratione efferas, atque convertas: *is non secunda fortuna, propria virtuti se credidit*: in laudem cedent: contra verò si, quæ laudationis sunt, in consilium, suasionemque transformes, suasioni ancillabuntur. Uno verbo præteritum in futurum transfer, vel futurum ad præteritum retrahere, & laudationum nobiles Confirmationes, atque Epilogos facile reperies.

232. Neque verò ullum commovere debet idem Aristoteles, *b* si quando Perorationem Demonstrativo generi ita invidere in speciem præferret, ut quum eam Judiciis, ac Deliberationibus interdum jungi lubens concedat; in Laudationibus tamen nullo modo fieri posse decernat. Neque enim hac Aristotilis *c* mens, aut sententia eo in loco, nisi illum planè desipere, ut mox docebo, fateri velint, est, aut esse potest. Sed hoc dumtaxat ibi vult, hoc solum indicat, Orationis laudativæ essentiam sine Epilogo haud ægrè constare. At non incipiat hunc tanquam partem

a lib. 1. Rhetor. cap. 10. ex Trapezun.

b lib. 3. cap. 13. ex Trapez.

c Vel ex Sigonio cap. de Partibus Orationis.

tem ad illius absolutionem pertinere. Ac ne quis meum hoc somnium, interpretationemque adulterinam esse clamet; ipsum illud ejusdem Philosophi caput testor, in quo statim sub initium duas cujuslibet generis partes Orationi necessarias, sine quibus ejusdem essentia retineri nequeat; Propositionem scilicet, & Confirmationem statuit, & probat. Quam partium necessariorum divisione ostensa, atque firmata, aliorum Rhetorum divisionem complures partes, nempe narrationem, refutationem, perorationem, & exordium, tanquam omni generi necessarias, in ventium more suo carpit, perspicueque non necessarias, neque cum ipsa Orationis essentia coalescere ex eo statim convincit, quod illam integram salvaque, istas à quacunque controversia, atque ab omni prorsus causarum genere abesse posse certum est; planaque inductione easdem partes singulas explorans, narrationem, & refutationem à deliberativo, ac demonstrativo; Perorationem item ab exornationibus se juncti tradit. Dum ergo ait: *Peroratio quamquam est in exornationibus.* Si totam Aristotelis sententiam expressam esse cupimus; addendum necessarium est: *pars essentia necessaria.* Ac nisi de his essentia partibus tantum loquatur Philosophus, nã ille, qui aliorum divisionem irridebat, ridiculè ipse eandem refutaret. Quum enim ceteri, quos refellebat, Rhetores eas omnes partes cuique Orationi per necessarias ponerent; si ab eisdem, ut tu contendis, extorque-re vellet. Aristoteles, partes esse, quod absint

Q
ali-

aliquando, non tantum minimè necessarias, sed ne ad perfectionem quidem Orationis quicquam pertinentes; quam nervosè, obsecro, ratiocinaretur, aut redargueret? Scilicet. Darent enim illi, has separari nonnunquam, & nihilo fecius absolutæ Orationis in quocunque genere partes esse, non minùs, quàm manus, pedesque, qui etsi homini vivo præcidi queant; conjuncti tamen eundem perficiunt. Ex quo luce meridianâ clariùs liquet Philosophorum antesignanum, Perorationem necessarijs tantum essentia partibus, non autem reliquis detruncasse.

233. Sed rursus vociferantur Adversarij, hoc Perorationis in causa demonstrativâ, ut vocabunt ipsi, additamento, sarcinâ, aut man-
Aticâ, causarum omnia genera perturbari, atque ad unum, solumque deliberativum, cuius ea cohortatio videtur propria, revocari. At quid hoc, quæso, piaculi sit, si res bellè, ut su ipso approbante, succedit, etsi nescio quas captiosæ Dialectices tricas expedire non liceat? Meliùs sanè laudatio Peroratione actuosâ, ut experimur, absolvitur, quàm destituitur. Quam mihi igitur religionem injicis, si eam nunquam negligendam doceo? Priùs sine dubio artem ipsam olim exercebant Oratores, quàm artis præcepta observarentur: nec propterea artis ignota usus, quòd ejus artificium nondum esset certâ normâ exploratum, minùs arridebat. Sed quæ sunt tandem istæ tricæ? Permisceantur omnia genera, non repugno. Quasi verò hæc sit Rhetoricæ omnis
 ever-

everfio. An fi qua inmitia poma, vel ^{multa} A
 ra pyra deftrato imbuas, melle oblinas, fria- B
 toque perfergas faccharo; palatum fani o- C
 ris mifturam hanc averfabitur, aut pura mal- D
 let poma, quàm ejufmodi fcitamentis condi-
 ta? Non puto. Si igitur laudatio additâ Per-
 oratione quodammodo conditur, magisque
 fapit, cui non maximè placebit? Quid? in o-
 mnibus Ciceronis Orationibus an non omnia
 permifcentur genera? Cedò mihi vel unam
 unicâ delinitam caufâ? Frufta quæres. non
 invenies. Porrò licèt omnia cauffarum gene-
 ra mutuò implicentur, non tamen confundun-
 tur; fed quâ fine proximo, quâ materiâ ipsâ
 faris discriminantur. Ut enim Judiciali mul-
 tæ irrogatio, atque impunitas; Deliberativo
 utilitas, & damnum! ita Demonstrativo ho-
 neftas, ac turpitude, ceu fines propinqui pro-
 pofiti funt. Ad hos verò fines comparandos u-
 numquodque genus, ut eadem Urbs diverfis
 viarum femitis, callibusque aditur; diverfas
 quoque materias, primum quidem facta, quæ
 accufantur, vel defenduntur; alterum verò
 rerum expeditiones, aut negotiorum agen-
 dorum confilia, quæ fuadentur, vel difsuaden-
 tur; tertium denique actiones, quæ laudan-
 tur, aut vituperantur, adornat.

234. Si igitur Orator tanto ftudio non fo-
 lum in Judicialibus, & deliberativis contro-
 verfijs, fed etiam in Demonstrativa cauffa
 honeftam femper utilitatem dicendo nititur,
 ut hætenus patefecit, ex deftinato apportare;
 quo tandem nomine illas Adverfariorum lit-
 cubra-

Q 2

cubrationes Academicas jam nuncupabimus? Ego fanè, Auditores, qui ab ipso Aristotele* didici, bruta quidem, atque inanima, præter Deum, hominemque, in quos tantum vera laus cadit, laudari posse, sed joco; nunquam eas veras esse Orationes, sed ludicras; non ferias, sed jocularis; non solidas, sed evanidas judicabo. habebo pro nugamentis Poetarum, pro commentitijs declamationibus, pro adulterinis Rhetoricæ foetibus. neque talium fabros apinarum in Oratores unquam retulerim. Quis enim, ubi primò in pulpitem adolescens, vel quicumque alius garrulus omnino locutus, **A** leius subit, confestim secum non reputat, nihil illi, quod verè persuadeat, in quo totum cuiuscunque Oratoris munus cernitur, esse constitutum; sed auribus eum dumtaxat, atque curiositati esse gratificaturum? Illa illa luxuriantis styli leges, illa acuminum undique depluentium tam spissa grando, illa tot ornamentorum superfluatorum pigmenta circa Academicam hærentia quæstionem, vel argumentum, Orationes non sunt; sed Orationum tantum inanes imagines, & simulacra. Nam statua etiam aures, oculi, manus, cæteraque hominis membra insunt quidem; sed tamen statua homo non est, sed hominis tantum signum, ut jam aliàs à me semel dictum commemini. Pugio item ex saccharo conflatus pugionis instar certè habet; & tamen pugio non est, sed pugionis dumtaxat adumbrata figura. Cur autem? quia nimirum statua hominis

* lib. 1. Rhet. cap. 9. ex Trapez.

minis animo, & corpore; pugio è faccharo factus ferri, chalybisque materiâ sibi propriâ carent. Ita quoque leves illæ lucubratiunculæ, etiamsi aliquam Orationis formam quoquo modo imitentur, Orationes tamen non sunt. At quid causæ vetat? quia scilicet, quum Orationis animâ, quæ est seria, atque ad actionem directa propositio, orbata sint; nullus etiam in illis color, nisi exanguis; nullus succus, nisi exsuccus, nullus alicujus affectionis humor; morum masculi tantum picti; argumentorum nervi enerves omnes, vel rigore quodam puerilis affectationis stupidi conspiciuntur: quumque theses, quæ verane, an falsæ sint, tantidem prorsus Auditoris interest, solum expoliant, Orationum quidem larvæ sunt, sed nullo modo Orationes. Porro quæ de actionis quæstione, deque actuoso Epilogo quâvis in Oratione usurpando hactenus, sapientissimi Præsules, disputavi, eadem quoque omnia Concioni sacre ratâ portione esse accommodanda planè denuncio.

*Veri Oratores maximè delectant ob summam
quam afferunt, utilitatem pari hone-
state conjunctam.*

235. **S**ed ut tandem eò se referat, unde discessit, Oratio, Auditores: quum Orator in omni causarum genere, præsertim verò Concionator, eximius quidam, ac prope divinus animorum Medicus sit, qui omnem videlicet vitij morbum eis studet eximere;

virtutis autem integram valetudinem vel
 primùm afferre, vel certè restituere; hac ad-
 mirabili animorum curatione tantam con-
 ciliat Auditoribus voluptatem, ut quæcunque
 ab Adversarijs excitetur, vel cumuletur, cum
 hac minimè sit comparanda. Quantam enim
 quæso, oblectationem diuturno confecti mor-
 bo, ubi exesa sua corpora præter spem sanitati
 reddita vident, percipiunt? quàm repentinum
 gaudiùm, qui multos jam annos lectulo affi-
 xus, omnium Medicorum remedijs frustra
 tentatis, continentibusque exagitatus dolo-
 ribus, ferè extabuit, si novo à Medico, qui
 se aliunde in urbem fortè recens intulerit, va-
 letudine jam desperatà, medicatæ potionis
 mirâ vi, atque præstantiâ improvisò sanetur?
 Quàm exuberante delibutus suavitate, de le-
 A cto confestim desilit? quàm arctis servatorem
 suum amplexibus prælatitiâ tenet, dulcissimè
 B alloquitur, blandissimè suaviatur, multo ar-
 gento, auroque locupletat? A Medico di-
 C gressus, passim vociferatur, vitam sibi ab eo
 morti, ad quam properabat, subductam; illi
 se, quòd tumulatus non sit, acceptum referre;
 ejus industriâ se extantâ dolorum carnifici-
 nâ creptum. mox apud vicinos domi, atque
 in foro, quibuscunque amicis, notis, atque
 ignoris recuperatæ beneficium sanitatis, ab
 ovo semper repetens, jucundè memorat, par-
 ticulatimque denarrat. Sed unde, quæso, tan-
 ta denuò voluptas agrotum illum incessit? un-
 D de tantæ sensus hilaritatis membra ejus tabo
 jam penè diffluentia pervasit? Nempe vite
 quan-

quavis viæ, & caducæ munus, quo illo à Medico donatus est, adeo gratum, adeo dul-
ce, adeoque pretiosum existimatur, ut sem-
per ante ægri, aut potius ab ægritudine libe-
rati oculos versetur, semper ejus recurset ani-
mo, semper præteritos angores incredibili so-
lacio compenset. Quin vel sola hujus recor-
datio quascunque ærumnas, atque molestias,
si quas ille aliunde patiat, hac adeo excoctâ
dulcedine non solum temperat, sed penitus
etiam tollit.

2; 6. At quanto uberiore oblectatione af-
flictos, jacentesq; homines non corporum, sed
animorum Medicus Concionator implet; quâ
scelerum deploratis ulceribus acri, mascula-
que Oratione immortalia præscribit remedia,
depositas plagas scite curat, jam letho proxi-
mos inopinâ salute allatâ mirè redintegrat.
Interfunt Concioni omnis generis agroti.
Adsunt ventoso superbiæ fastuturgidi, Ad-
sunt libidinis purulentâ sanie tabidi. Adsunt **A**
multa crapulâ pallidi, crudi que. Adsunt odij,
atque iræ flammis exusti. Adsunt irrequietis **B**
invidentiæ dilaniati torminibus. * Ex hac **C**
autem morbosorum cohorte non unus, sed
plures in omnibus flagitiorum fordibus sæ-
dissimè volutati, pestiferâ animorum conta-
gione quotidie magis glifcente, à multis jam
tot annos Concionatoribus, phaleratis illis,
atque unguentatis, propinata sibi æternæ phar-
maca salutis inani semper fructu experti,
perennis vitæ spe omni ferè incisa, jam sibi
cum morte, Tartaroq; paciscendum arbitra-
bantur;

bantur; quum ecce extraordinarium divini
 præconem spiritus, non vulgato lascivientem
 stylo; non communi utentem voce, sed lacer-
 rosa vividâque eloquentiâ perorantem casu
 auscultantes, sentiunt sese ab eo suavi quo-
 dam illicio, sed honestissimo trahi, paulatim
 in vitij detestationem accendi, virtutis amo-
 re repente capi. ducique. Vident illum toto
 excubantem animo, vulnera sibi mirâ dexte-
 ritate retegere, eorum gravitatem acerrimè
 exaggerare, ineluctabilemque Orci lanienam,
 impiorum facinorum certissimam strenam,
 horrendo clamore minitari. Mirantur suas
 plagas tam molli ab eo pertentari brachio, sed
Dlongè magis potenti, præsentique remedio
 percurari. Stupent, se a cæcitate mollitâ cordis
 duritiâ, in lacrymas solvi, toto commoveri
 animo, totis artubus contremiscere. Mox vi-
 tre immortalis spe hilarati, scelerum veniam
 singultibus, gemitibusque deprecantes, lenis-
 simâ divinæ misericordiæ memoriâ collique-
 scunt. Tum in Concionatoris insoliti vultu
 maciem, palloremque, voluntariæ testem car-
 nificiæ, observant; in Orationis lineamen-
 tis sui ipsius legunt contemptum; in gestu in-
 flammata erga Deum, & homines notant
E Caritatem; sententias illius fulgura, preces
F quovis magnete rapidiores, reprehensione,
 capitatos arietes animadvertunt. Moliri eun-
 dem cælestia quædam ad animos expugnan-
 dos machinamenta; tum divinis præstantem
 virtutibus, ad obterendas sensus appetitio-
 nes, Dæmonumque insultus cernunt irruere;

gra-

graviorem illum semper facere impressionem; denique manibus, fronte, oculis, capite, totoque corpore in omnium animarum incolumitate procurandâ vehementissimè desudare conspiciunt.

237. Hujusmodi Orationis efficaci remedio, ubi se illi, paulò ante miserimi, perfanatos comperiunt, ubi criminibus repentino dolore expiatis, vitæque superioris inquinamentis elutis, recentes sese virtutis candidatos **A** evasisse, aliosque in homines migrasse recognoscunt; statim atque sacrum Oratorem, non hominem, sed veluti Cælo delapsum, Angelum **B** adire possunt; ex composito ejus ad pedes se lacrymabundos, supplicesque demisso provolvunt; vestes, crura, plantas intimis sensibus, magnaque veneratione deosculantur. Quid hoc monstri est, Auditores? Dii multumque suspirius; atque singultibus interclusâ voce, tandem quum primum respirare cœperunt, heroico illi Concionatori re potius, quàm verbis, significant, seorsim singuli, perditorum se hominum manum ejus hamo dictionis, prædâ hæsisse, eoque salubriter tractam, ex mundi tempestatibus toties jam naufragam, in sinum ejusdem patrocinii, ac magisterii, tanquam certam in spem salutis, & portum confugisse. Quanta igitur animorum istorum tam beatè respicientium voluptas? quanta jucunditas se se tam cælesti immutatos fascino intuentium? quanta pectoris lætitiæ & mentis, & voluntatis à noxiâ vindicatæ beneficium extollentium? En, ut passim sibi gratulantes

vulantes exclamant. Perieramus, nisi ille nos vulnerasset. Ille nos à turpissimo vitæ genere retraxit: ille nobis vitæ hujus dedecora absterfit; ille nostris filiis, familiisque prospexit. Ô quoties, & quanto animi gaudio, repetunt! Ille nostras fortunas servavit, ille pacem, domi, forisque dudum antea exulantem, reduxit; sed, quod longè amplius est, ille ille nos ex præsentissimo animæ interitu eripuit, nobisque æterna inferorum incendia restinxit. Pupugit nos dicendo, sed pungendo sanavit; rationes intorquendo sauciavit, at sauciando, mortuos vitæ restituit. In nostrarum miseriarum terram igneo amplificationis fulmine prostravit, sed prosternendo ad gratiæ Cælum erexit. Hujusmodi voces ferè, aut consimiles traducti illi ad Christum erronei, incredibili exultantes hilaritate, emittunt, tamque effusæ, atque insolitæ causam voluptatis ubique, in circulis, in plateis, in exedris, in ædibus, in publico, domesticis, atque extraneis personant, replicantque.

238. Quare, subductis, Auditores, quatuor hisce delectationis capitibus, quum Tulliani Oratores, atque Concionatores tantâ ingenii excellentiâ nobilitatos, tantâ orationis moderatione ab omni fastidio tam alienos; tantâ ordinis varietate adeo venustos; tantâ utilitatis, atque honestatis gratiâ ita commendatos prodant, ac probent; cui dubium esse queat, quàm lauta, atque absoluta sit ea oblectatio, quam iidem dicendo ferunt? Nempe licet in aures; primum hæc delectatio irrepit quidem

quidem per blandè ; circa aures tamen non hæret, sed leniter sese in animum demittit? neque, ut illa Adversariorum fucata tantummodo, levis, & commentitia, sed vera, gravis, & solida, præcordia ipsa suaviter permeat, jucundissimisque delinit officiis.

Oratoris, atque Concionatoris Tulliani magnum ingenium, atque artificium magna admiratio, plaususque ex summa oblectatione profectus consequitur.

239. **V**erum hæc tanta, tamque copiosa delectatio, quæ nostris ex Oratoribus, & Concionatoribus in Auditores funditur, etsi moderatâ sit, nihilominus cumulata etiam est & summa; atque ita summa, ut præ cumulo summâ quoque cum admiratione conjuncta sit. Illos quippe, qui persuadendo tam jucundè, solideque delectant, tantus plausus, tamque intolita admiratio excipit, & commendat, ut quanto minùs ipsi suum in dicendo ingenium, atque artificium nobilissimum ostentant, tanto magis à peritis Auditoribus observetur, ac suspiciatur; contra verò alii, qui, ut rumusculos colligant, intemperis agitati, luxu profuso totam dissipant persuasionem, non rarò dignâ irrisione ludantur. Neminem enim fugit, aut clam est, illum conclamatæ jam valetudinis ægrotum (ut in eodem pergami exemplo) ab experientissimo

Q.6

cura-

curatum Medico, non tantum affluente voluptate ob recuperatam sanitatem recreari, sed maximam quoque egregii in sanando artificii miratione haerere suspensum, laudes Medici semper celebrare, ejus sollicitiam, acumen, nomenque semper extollere, omnium illum Medicorum facile principem, facile Galeno, Hippocratique supparem, imo superiorem etiam pronuntiare, Aesculapium alterum sine controversia appellare, ac statuere; e contrario autem reliquorum Medicorum, qui externa tantum, & supra cutem dumtaxat lita medicamenta applicaverunt, elegantis officias sermonis, & praestigias explodere, multam sui jactantiam stomachicis; inanes pollicitationes eis exprobrare, putidam doctrinae ostentationem in recensendis memoriter Hippocratis aphorismis, in testandis Galeni placitis, in medicae eruditionis penam universam exhauriendam vituperare; quumque toto illo technarum, fraudumque apparatu se circumventum videat, quum se incuratum, quin etiam deteriore forsitan valetudine debilitatum; adde non tantum corporis viribus enervatis, sed auri insuper, argentique arculis multo magis exinanitis, dimissum intueatur, ac fremat; ab illis Medicis suo tantum marsupio uncas rapacissimos fuisse injectos; nullam vero sanitati curandae veram adhibitam esse medicinam, tandem merito colligere, simulque indignari.

240. At idem prorsus animi contagione misere tabescentibus videlicet accidit, Auditores,

tores, qui à perito, fidoque mentis. Medico, sacro Oratore ad sani capitis valetudinem, perennisque seculi vitam, virtutis persuasione divinitus afflatâ, perducti, non ubere tantummodo voluptate, quotiescunque divinâ illius in dicendo vi, ac spiritu se tot ex malis extractos, insuperque tot ac tantis ditatos bonis recordantur, pectus habent refertum; verum etiam, ubi in memoriam redditâ sibi sanitatis redeunt, ex cumulata, quam experti sunt, jucunditate, ex templo summos in plausus, atque in summam de ejusdem Concionatoris ingenio admirationem rapiuntur. O viri, exclamant, non humanam, sed cœlestem sapientiam!! O ingenij perspicacis singularem prerogativam? Ut artificium omne catê ille dissimulans, nostris vulneribus blandissimæ orationis ceratum adlinebat? argumentorum spi- **A**cula non ostentabat, sed immittebat: sensim nostros explorans sensus, primò rationibus firmis nos pertentabat; subinde gravioribus percellebat; mox validiores adhuc quâ morum, quâ affectuum machinas admovens, totum nilû arietabat, viscera trajiciebat, vitalia cuncta penitus confodiebat. Tunc scilicet læti, quum salutare nobis tendebat insidias, securos nos vulnerum putabamus; ad certum nos destinari ictum, nunquam in mentem venisset suspicari. Orationem ejus modestam, sed non humilem; insignitè splendidam, sed non affectatam; tam vehementem esse expugnandorum animorum, ut ita loquamur, catapultam, nunquam cogitatione providissemus.

Q7

Quam

Quàm sagax igitur illuderat ingenium, quàm acutum, atque eminens, quod ut ingeniosius vulneraret, vulneratique vulnus amarent suū, seipsum interim nostris oculis officiosè subducebat? Sed enim quanto magis sese celabat, tanto clarius (jam tandem agnoscimus) aperiebat. Nunc demum cernimus, quantæ fuerit sollertiæ sententias illas tam eximio distribuere ordine; argumenta singula tam accuratè suis librare momentis; tam facillè divinorum oracula librorum edisserere, tam appositè sanctorum decreta Patrum arcesse-
re; tantâ dexteritate, tantaque simul voluntatum concitatione, quocunque vellet, singulos asportare. Hæc, atque alia id genus complura, oblectatione capti Auditores, quicunque literas non à limine dumtaxat salutârunt, ad magnam de exquisitissimo Ciceroniani seu Oratoris, seu Concionatoris ingenio admirationem ex toroso, efficacique illius sermone derivatam luculenter patefaciendam, quippe qui ejusdem impulsu à Dæmonis probroso servitio ad divinum Jesu Christi regnum translati sint, ore jucundissimo, sæpissimeque frequentant. Contra verò aliorum non Oratorum, neque Concionatorum, quibus nominibus indigni sunt, sed politulorum Declamatorum adulteratum dicendi genus sibi fraudi fuisse, etiam atque etiam dolent; frustra tot annos iis audiendis se operam dedisse, imò non tam dedisse, quàm perdidisse, jure conqueruntur; nullam frugem ex tantâ acuminum, sensiculorumque procellâ se percepisse, meritò

expostulant; ac proinde, quàm imbecillum sit eorundem ingenium, quàm inops, & tenue, quod persuadere nescit, necessario sibi persuadent. Quem igitur in præsentia meorum non miserescat Adversariorum, qui quò magis Auditorum oblectationem, sui que gloriam ingenii ad insaniam usque depereunt, totosque sese hanc in curam impendunt, eò minùs eliciunt? At è regione quis nostrorum & Oratorum, & Concionatorum felicitatem satis admiretur, qui dum toti sunt in persuadendo, quanto minus aurium, animique voluptatem, aut proprii ingenii celebritatem, quò eorundem salutem Auditorum consulant, quarunt, aut ambiunt; tanto magis excitant, & consequuntur?

Adversarii pro desperatione à Tulliana eloquentia forma defecerunt.

241. **N**unc satis, opinor, totà hac meà disceptatione, Auditores, probatum à me est, Adversarios meos à Ciceronianà eloquentià, quo dulcius oblectarent, quum in delectando ita absurdi sint, atque præposterri, longèq; à Tullianis tam Oratoribus, quàm Concionatoribus, oblectandi lepore vincantur, deciscere non potuisse. Quum ergo trāsfiga isti, ingenii præstantiam delectandi; gratià, Ciceronem deserendo, non auxerint, sed, si quàm prius habebant, etiam corruerint; quam ob causam, quæso, veram, & candidam, à Ciceroniano dicendi caractere, hoc est, à regiã

376 P. III. DE TULLIANÆ ELOQ.
giâ persuadendi viâ delirârunt? Edicant ali-
quando, enuntient, aperiant. Tacent, ob-
mutescunt. Sed quâdiu ego. intempesti-
vum istud. silentium tolerabo? Dicam
ego, quod res est; & quando Adversarii
germanam causam, cur à Tulliano arti-
ficio, styloque ad depravatum Orationis genus
transierint, fateri non audent, vel certè eru-
bescunt; ipse ego sine fuce, & fallaciâ liberè
patefaciam. Quum leves isti sensiculorum
institores, ingenii ostentandi, delectationisque
eblandiendæ percupidi, in persuadendi pro-
vinciam difficillimam, ac præclarissimam; tum
in M. Tullii, & Tullianorum Oratorum,
atque concionatorum summam perspicaciam,
summam eloquentiæ majestatem; opes, ampli-
tudinem, regnumque inspexissent quidem à
limine, at nunquam interius penetrâssent; ubi
primùm manus operi imitando, exprimendo-
que applicârunt, expeditissimum illud initio
rati, usu deinde statim, rem esse omnium
operosissimam, artificium tam admirabile,
vix ut magnis etiam, palmaribusque ingeniis
perspectum sit; conatum Tullianæ eloquentiæ
consequendæ, vel imitandæ maximè arduum,
supra suas vires, supra facultatem, supra ca-
ptum ingenii; nec nisi longo studio, laboreque,
ut jam docui, aliquid se hujusmodi artis tene-
re, aut parare posse, deprehenderunt. Quare
has ingenii, oblectandique prærogativas, Ci-
ceroniano stylo effingendò aliquandò à se ob-
tinendas, desperantes, in ea, quas hæctenus
agitavi, eloquentiæ labes degenerârunt.
Com-

Commemoravi enim antea, reperiri in Republica perditos homines, qui adulterandæ artem pecuniæ audacissimè exercerent. Nunc scitor præterea, cur illi & infamiae turpissimæ inevitabili serè periculo se objectent, & tam enormi se obstruant crimine, & extremi aleam supplicii minimè reformident? Expediã verbo responsionem. Adulterant scilicet eorum plerique pecunias, quod alia honestatione summæ inopiæ, quâ vexantur, sublevandæ spem omnem abjecerint. Haud secus Adversarii mei, quum tantâ ingenii egestate, atque imbecillitate, ut ostendi, conflictentur; ubi se ad ingenii famam, oblectandiq; palmam adipiscendam, Ciceronianæ Eloquentiæ discendæ ineptos, animadverterunt, ejus sibi vendicandæ desperatione prostrati, adulterinum hoc dicendi genus invexerunt.

242. Quid enim vos, levissimi Declamatores, repente impulit, ut inveteratam persuadendi normam tam enormiter perverteretis? Tullianæ eloquentiæ comparandæ desperatio. Quid vos coegit Latinitati plerunque valedicere, hinc atque illinc centones corradere, nihil nisi perturbatè effundere? Desperatio. Quid vos jussit tam multa sine ratione, sine exemplo, sine formâ insolenter somniare, nova semper monstra producere? Desperatio. Quid vos ad vastitatè Ciceroniani in dicendo Regni, quid ad rebellionem adversus ejusdem Principatum sollicitavit? Desperatio. Quid vos tanquam cruentos Catilinas M. Tullio hostes infestissimos opposuit? Quid tanquam patriæ:

patriæ eloquentiæ proditores, extraneæque patronos ad ejusdem consularem stylium expellendum, ut scilicet non pauciores ille modo, quin multò plures suæ facundiæ Adversarios, quàm olim vitæ insidiatores Catilinas, & Cethegos, numeraret, inflamavit? Desperatio. Quid vobis Demosthenis exempla, quid Aristotelis præcepta, quid Quintiliani scita suasit contemnere? Desperatio. Quid vos adeo præcipites dedit, ut totius antiquitatis varendam auctoritatem, quæ mira semper conspiratione Tullianæ eloquentiæ sceptrum non modò pacatè tulit, sed etiam amavit, & coluit, ne flocci quidem penderetis? Desperatio. Quid postremò hanc vobis mentem indidit, ut reliquos omnes penitus despuisse, quò soli vos sapere videremini, censeretis? Desperatio, desperatio.

243. Verùm enim verò, Antistites prudentissimi, utcunque hostes complures, audaces, factiosi, turbulenti, in Tullianam eloquentiam, hoc est, in eam, quæ persuadendi curâ, vi, ac palmâ antecellit, conspirent, omnemque lapidem ad eam planè evertendam moveant; frustra nihilominus illam invadunt, frustra oppugnant, frustra quascunque artes, ac machinationes ad ipsam subruendam periclitantur; si quidem ea semper invicta, semper imperterrita, semper inexuperabilis, de cunctis legitimi styli corruptelis, de omnibus ineptè dicendi formis, de cunctis scribendi, eloquendi, que flagitijs amplissimos, ac justissimos cunctis seculis egit triumphos, omnesque orandi,

ac perorandi discordias, concitationes, discessiones, ac tumultus magnâ prorsus felicitate perpetuò compressit, tandemque omninò disiecit. Nimirum inexpugnabilis est arx veritatis, Solisque radij quascunque objectas nubes denique perumpunt, ac dissipant. Ipsamet genuina Christi Domini religio, quavis luce candidior, quot errorum tenebris à tenebriosis obvoluta est? quàm cæcas in noctes inficitæ, ac pervicaciæ ab obæcatis Hæreticis conjecta? quot in sectas deliramentorum à deliris capitibus secta? quàm multas in factiones ab improbis hominibus discernita? quot à monstris arrogantæ, superbicæ, atque perfidicæ læessita, obsessa, arietata? Quis tamen Catholicorum non cernit, atque in sinu quoque idcirco non gaudet, eandem Catholicam religionem nihiloscilicet immotam stare, inconvulsam perdurare, inconvulsum perennare? quis nescit erumpentes identidem hæreses vetustatem non ferre, pedetentim dilabi, citò senescere, demum excindi penitus, atque aboleri? quis non animadvertit cunctas errorum propagines ab Ecclesiæ Christianæ perduellibus satas paulatim arefcere, atque ad postremum extinguï; solam autem Catholicam veritatem, ac Fidem perpetuò splendescere? solam perpetuò virere? solam injurijs temporum non esse obnoxiam? solam vivendo vincere quoruncunque secula? solam de subactis, elisisque cunctis hæresibus, atque erroribus triumphare? Haud dissimili ferè etiâ exemplo germana, & solida eloquentia, persuadendi magistra,

fori,

fori, ac Templorum dominatrix, voluntatum illex, flexamina populorum, quot quantosq; sui hostes acerbissimos experta est? quàm saepe ab iis ex clanculariis insidiis everberata? quàm frequenter aperto etiam Marte percussa? quoties sententiarum levissimarum flosculis undique silvescentibus obsita? quoties tenebricosarum cuniculis allego-
Briarum saepe? quoties spissâ audaciam metaphorarum grandine obruta? quoties inanum acuminum subulis trajecta? quoties diversis seculis multiplice styli genere sobolescente, mireq; in vulgus statim accepto, nunc inflato, nunc sicco, jam antiquario, jam peregrino, aliquando poetico, interdum exorico, nonnunquam insolenti, subinde evanido; semper vero à rectâ persuadendi orbitâ errabundo jactata, exagitata, & divexata est. At omnes istæ dicendi pravitates, ac distortionem, etsi subinde exorta sunt, vigentque nonnunquam, & aliquandiu in honore sunt, quàm brevi nihilominus obsolescunt? quàm desubito siderantur? quàm repente intereunt? quàm inopinatè in fastidium vertuntur, contemnuntur, exploduntur? Ex adversum autem Ciceroniana facundia, hoc est, copiosè loquens, illa sapientia, illa dicendi summa vis, illa expugnandorum animorum admirabilis machina, vitalis semper est, ævum fortiter patitur, nunquam canescit, nunquam inveterascit, perpetuò regnat, continenter floret, semper uberes fructus ubique gentium edit, ac metit.